



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Job Liber Secvndvs  
Continuans moraliter primum Caput ipsius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

S AN C T I G R E G O R I I  
M O R A L I S E X P O S I T I O N I S  
I N B E A T V M J O B  
L I B E R S E C V N D V S  
*Continuans moraliter primum Caput ipsius:*

C A P U T I.

**S** C R I P T U R A sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus, quantum proficimus, ibi à profectu quam longè distamus. Narrat autem gesta <sup>\*</sup> sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum. Dumque illorum victicia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confirmat: fitque verbis illius, ut eò mens minus inter certamina trepidet, quòd ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnumquam verò non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit: ut & in victoria fortium quod imitando arripere, & rursus videamus in lapsibus quid debeamus timere. Ecce enim Job describitur tentatione auctus, sed David tentatione prostratus; ut & majorum virtus spem nostram foveat, & majorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat: quatenus dum illa gaudentes sublevant, ista metuentes premant; & audientis animus illinc spei fiducia, hinc humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat, quia formidine premitur, nec pressus timore desperet, quia ad spei fiduciam virtutis exemplo roboratur.

*Quòd satan inter filios Dei affuit absens præsentis, sicut cæcus non videns lumen, à quo illustratur. Et quomodo sancta Scriptura ex qualitatibus aeris vel temporis, vel ex corporis sui, vel positione, locorum fines exprimat, effectusque causarum.*

C A P U T I I.

**Q** U A D A M autem die cum venissent filij Dei, ut assisterent coram Domino, affuit etiam inter eos satan. [ Iggeri liber, quomodo sacra eloquia in exordijs narrationum qualitates expriment, terminosque causarum. Aliquando namque à positione loci, aliquando à positione corporis, aliquando à qualitate aeris, aliquando à qualitate temporis signant, quid de ventura actione subjiciant. A positione quippe locorum divina Scriptura exprimit subsequentiū merita, finesque causarum, sicut D  
de Israël dicit: quia verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit: subsequentiū nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis neglectè vivendo laxavit. A positione corporis futura denunciat, sicut in actibus Apostolorum Stephanus Jesum, qui à dextris virtutis Dei sedet, stantem se vidisse manifestat. Stare quippe adjuvantis est. Et rectè stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut Evangelista, cum prædicante Domino, nullos tunc ex Judæa credi-

A turos diceret, præmisit dicens: *Hic autem erat.* 1o. 10. d  
Scriptum namque est: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Idcirco ergo hie-  
mis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est, quòd de negaturo Petro præmittitur: *Quia frigus* 1o. 10. d  
*erat, & stans ad prunas calefaciebat se.* Jam namque intus à charitatis calore torpuerat, & ad amorem præsentis vitæ, quasi ad perceptorum prunas infirmitate astuante recalcabat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exiisse perhibetur, cum, egrediente illo, ab Evangelista dicitur: *Erat autem nox.* Hinc enim  
& iniquo diviti dicitur: *Hac nocte reperens animam tuam abs te.* Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, non in die reperi, sed in nocte memoratur. Hinc est, quòd Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc est, quòd Angeli ad Abraham meridie veniunt, punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur. Quia igitur beati Job tentatio ad victoriam deducitur, à die coepa perhibetur, cum dicitur: [ *Quia autem die, cum venissent filij Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam satan.* ] Qui autem Dei filij, nisi electi Angeli vocantur? De quibus cum constet, quòd obtutibus majestatis inserviant, valde quærendum est, unde veniant, ut coram Domino assistant. De his quippe voce Veritatis dicitur: *Angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei, qui in calis est.* De his Propheta ait: *Milia millium ministrabant ei, & decies milies centena millia assidebant ei.* Si igitur semper vident, & semper assunt, vigilantia cura quærendum est, unde veniant, qui nunquam recedunt. Sed cum de illis per Paulum dicitur: *Nonne omnes sunt ministratori spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* per hoc, quòd missos cognoscimus, unde veniant, invenimus. Sed ecce quæstioni quæstionem jungimus, & quasi dum anam solvere nitimur, nodum ligamus. Quomodo enim aut semper assistere, aut videre semper faciem Patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur? Quod tamen citius solvimus, si quantæ subtilitatis sit Angelica natura, pensamus. Neque enim sic à divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudiis priventur: quia si conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera nunciare possent, fontemque lucis, quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent. In hoc itaque est nunc natura Angelica à nature nostræ conditione distincta, quòd nos & loco circumscriptimur, & cæcitatibus ignorantia contractamur: Angelorum verò spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longè super nos incomparabiliter dilatantur. Interiūs

quippe exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia comparatione nostræ scientiæ valde dilatata est, sed tamen comparatione divinæ scientiæ angusta: sicut & ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, sunt corpus. Et mittuntur igitur, & assistunt; quia per hoc, quod circumscripti sunt, exeunt, & per hoc, quod intus quoque præsentibus sunt, nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad nos veniunt, quia & ad nos spiritali præsentia foras exeunt: & tamen ibi se, unde recesserant, per internam contemplationem servant. Dicitur ergo: [ *Venerunt filii Dei, ut assiderent coram Domino.* ] quia illic spiritus conversione redeunt, unde nullam mentis aversionem discedunt. [ *Affuit inter eos etiam satan.* ] Valde quærendum est, quomodo inter electos Angelos satan adesse potuerit, qui ab eorum sorte, exigente superbia, dudum damnatus exivit. Sed rectè inter eos affuisse describitur, quia etiam beatitudinem perdidit, naturam tamen eis similem non amisit: etiam meritis prægravatur, conditione naturæ subtilis attollitur. Inter Dei ergo filios coram Domino affuisse dicitur: quia eo intuitu, quo omnipotens Deus cuncta spiritalia conspicit, etiam satan in ordine naturæ subtilioris videt, attestante Scriptura, quæ dicit: *Oculi Domini contemplantur malos & bonos.* Sed hoc, quod affuisse satan coram Domino dicitur, in gravi nobis questione versatur. Scriptum quippe est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Satan verò qui mundo corde esse non potest, quomodo ad videndum Dominum affuisse potest? Sed intuendum est quia affuisse coram Domino, non autem vidisse Dominum perhibetur. Venit quippe, ut videretur, non ut videret. Ipse in conspectu Domini non autem in conspectu eius Dominus affuit: sicut cæcus cum in sole consistit, ipse quidem solis radiis perfunditur, sed tamen lumen non videt, quo illustratur. Ita ergo etiam inter Angelos in conspectu Domini satan affuit, quia vis divina, quæ intuendo penetrat omnia, non se videntem immundum spiritum, vidit. Quia enim & ipsa quæ Deum fugiunt, latere non possunt, dum cuncta nuda & aperta sunt superno conspectui, satan affuit absens præsentem. Sequitur:

*Quod nescire Dei, reprobare sit.*

CAPUT III.

**C** *Vix Dixit Dominus: Unde venis?* ] quid est, quod venientibus Angelis electis nequaquam dicitur: Unde venitis; satan verò unde veniat percontatur? non enim requirimus nisi utique quæ nescimus: Nescire autem Dei, reprobare est. Unde quibusdam in fine dicitur est: *Nescio vos unde sitis: discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Sicut & nescire mentiri, vir verax dicitur, qui labi per mendacium dedignatur: non quia si mentiri velit, nesciat; sed quod falsa loqui veritatis amore contemnat. Quid est ergo satan dicere: *Unde venis*, nisi vias illius quasi incognitas reprobare? Veritatis igitur lumen tenebras, quas reprobatur, ignorat: & satanæ itinera, quia iudicans, damnat, dignum est, ut quasi nesciens, requiratur. Hinc est quod Adæ peccanti conditoris voce dicitur: *Adam ubi es?* Neque enim divina potentia nesciebat, post culpam servus ad quæ latibula fugerat: sed quia lapsam vidit in culpam, jam sub peccato velut ab oculis veritatis absconditum; quia tenebras erroris eius non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque & vocat, & requirit, dicens: *Adam ubi es?* Per hoc, quod vocat, signum dat, quia ad penitentiam revocat. Per hoc, quod requirit, apertè insinuat, quia peccatores iure damnandos ignorat. Satan ergo Dominus non vocat, sed tamen requirit, dicens: *Unde venis?* quia nimirum Deus apostatam spiritum ad penitentiam nequaquam revocat: sed vias superbiæ eius nesciens, damnat. Igitur dum satan de itinere suo discutitur, electi Angeli requirendi unde veniant non sunt; quia eorum viæ tantò Deo notæ sunt, quantò & ipso auctore peraguntur; dumque soli eius voluntati inserviunt, eò esse incognitæ nequeunt, quò per approbationis oculum ex ipso semper ante ipsum fiunt. Sequitur: [ *Respondens satan, ait: Circavi terram, & perambulavi eam.* ] Solet per gyrum circuitus, laboris anxietas designari. Satan ergo laborans terram circuevit, quia quietus in cæli culmine stare contempsit. Cumque se non pervolasse, sed perambulasse insinuat: quanto peccati pondere in imis prematur, demonstrat. Perambulans ergo terram circuit: quia ab illo spiritalis potentia volatu corrueus, malitiæ suæ pressus gravedine, foras ad gyrum laboris venit. Hinc est enim quod & de eius membris per Psalmistam dicitur: *In circuitu impij ambulanti:* quia dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur. Sequitur:

*Quid sit quod ad satan Dominus loqui dicitur, vel quod satan Domino respondere perhibetur.*

CAPUT IV.

**N** *Unquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* ] Hoc, quod divina voce beatus Job simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo dicitur, quia subtiliter membratimque supra exposuimus, replicare quæ diximus devitamus: ne dum discutere repetimus, tardiùs ad indiscussa veniamus. Hoc ergo nobis est solerter intuendum, quid sit, quod vel ad satan loqui Dominus dicitur, vel quod satan Domino respondere perhibetur. Discutienda quippe est, quæ nam sit ista locutio. Neque enim vel à Domino, qui summus atque incircumscriptus est spiritus, vel à satan, qui nullà est carnè naturà vestitus, humano modo aëreus flatus folle ventris attrahitur, ut per organum gutturis, vocis expressione reddatur. Sed dum naturæ invisibili naturæ incomprehensibilis loquitur, dignum est, ut mens nostra qualitatem corporeæ locutionis excedens, ad sublimès atque incognitos modos locutionis intimæ suspendatur. Nos namque, ut ea, quæ sentimus intrinsecus, extrinsecus exprimamus; hæc per organum gutturis, per sonum vocis ejicimus. Alienis quippe oculis intra fecerem mentis, quasi post parietem corporis stamus: sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ januam egredimur: ut quales sumus intrinsecus, ostendamus. Spiritalis autem natura non ita est, quæ ex mente & corpore composita dupliciter non est. Sed rursus sciendum est, quia ipsa etiam natura incorporea cum loqui dicitur, ejus locutio nequaquam una atque eadem qualitate formatur. Aliter enim loquitur Deus ad Angelos, aliter Angeli ad Deum: aliter Deus ad sanctorum animas, aliter sanctorum animæ ad Deum: aliter Deus ad diabolum, aliter diabolus ad Deum. Nam quia spiritali naturæ ex corporea appositione nihil obstat; loquitur Deus ad Angelos sanctos eo ipso, quo eorum cordibus occulta sua invisibilia ostendit; ut quidquid agere debeant, in ipsa cõtemplatione veritatis legant, & velut quædam præcepta vocis sint ipsa gaudia cõtemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Unde cum eorum cordibus, Deus contra humanam superbiam, animadversionem ultionis infunderet, dixit: *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Dicitur eis, qui aderant: *Venite*, quia nimirum hoc ipsum nunquam à divina cõtemplatione decreverat, in

divina contemplatione semper accrescere est: & nunquam corde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus & dicit: Descendamus & confundamus ibi linguam eorum. Ascendant Angeli, in eo quod creatorem conspiciunt. Descendant Angeli, in eo quod creaturam, sese in illicitis erigentem, examine distinctionis premunt. Dicere ergo Dei est: Descendamus & confundamus ibi linguam eorum, in seipso eis hoc, quod recte agatur ostendere, & per vim internæ visionis, eorum mentibus exhibenda iudicia occultis motibus inspirare. Aliter loquuntur Angeli ad Deum, sicut & per Ioannis Apocalypsim dicere describuntur: *Dragnus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam.* Vox namque Angelorum est in laude conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis. Virtutis divinæ miracula obstupuisse, dixisse est: quia excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format. Deus ergo Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videnda manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino: cum per hoc, quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt. Aliter Deus ad sanctorum animas, aliter sanctorum animæ loquuntur ad Deum. Unde & in Ioannis Apocalypsi rursum dicitur: *Vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant: & clamabant voce magna dicentes: Vsq̄quo Domine, sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, de his, qui habitant in terra? Ubi illico adiungitur, Data sunt illis singula sista alba, & dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum & fratrum eorum. Quid est enim animas vindictæ petitionem dicere, nisi dicem extremi iudicii, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe earum clamor, magnum est desiderium. Tandem enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat: & tanto maiorem vocem in aures circumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium cordis eorum audivit auris tua.* Sed cum aliter moveri soleat mens, quæ petit, aliter quæ petitur, & sanctorum animæ ita in interni secreti sinu Deo inhæreant, ut inhærendo requiescant: quomodo dicuntur petere, quas ab interna voluntate constat nullatenus diserepare? Quomodo dicuntur vindictam desiderare, quas & voluntatem Dei certum est, & ea, quæ futura sunt, non ignorare? Sed in ipso posita, ab ipso aliquid petere dicuntur, non quod quidquam desiderant, quod ab ejus voluntate, quem cernunt, discordet: sed quod Deo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, ut ab ipso petant, quod eum facere velle noverunt. De ipso ergo bibunt, quod ab ipso siciunt: & modo nobis adhuc incomprehensibili, in hoc, quod petendo esuriunt, præsciendo fatiantur. Discordarent ergo à voluntate conditoris, si quæ eum vident velle, non peterent: eique minus inhærent, si volentem dare, desiderio pigriori pulsarent. Quibus responsum divinitus dicitur: *Requiescite tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum & fratrum vestrorum.* Desiderantibus animabus: *Requiescite tempus adhuc modicum,* dicere, est inter ardorem desiderij ex ipsa præsentia solatium consolationis aspirare: ut & animarum vox sit, hoc quod amantes desiderant; & respondentis Dei sermo sit, hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus est, ut collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere: ut cum carnis resurrectionem*

appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur. Aliter Deus loquitur ad diabolum, aliter diabolus ad Deum. Loqui enim Dei est ad diabolum, vias ejus, ac negotia animadversione occulta distinctionis increpare, sicut hic dicitur: *Vnde venis? Diaboli autem ei respondere, est omnipotenti majestati ejus posse nihil celare.* Unde hic ait, *[Circumvi terram, & perambulavi eam.]* Quasi enim dicere ejus est, quid egerit, scire quod actus suos oculis illius occultare non possit. Sciendum verò est, quia sicut hoc loco discimus, quatuor modis loquitur Deus ad diabolum: tribus diabolus ad Deum. Quatuor modis loquitur Deus ad diabolum: quia & injustas vias ejus arguit; & electorum suorum contra illum justitiam proponit, tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, & aliquando eum, ne tentare audeat, prohibet. Injustas enim vias ejus redarguit, sicut jam dictum est: *[Vnde venis?]* Electorum suorum contra illum justitiam proponit, cum ait: *[Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis super terram?]* Tentandam eorum innocentiam concedendo permittit, sicut ait: *[Ecce univversa, quæ habet, in manu tua sunt.]* Rursumque eum à tentatione prohibet, cum dicit: *[Tantum in eum ne extendas manum tuam.]* Tribus autem modis loquitur diabolus ad Deum, cum vel vias suas infinnat, vel electorum innocentiam fictis criminibus accusat, vel tentandam eandem innocentiam postulat. Vias quippe suas infinnat, qui ait: *[Circumvi terram, & perambulavi eam.]* Electorum innocentiam accusat, qui dicit: *[Numquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasisti eum, ac domum eius, univversamque substantiam eius per circumviam?]* Tentandam eandem innocentiam postulat, cum dicit: *[Extende manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.]* Sed dicere Dei est: *[Vnde venis?]* sicut & supra infinnavimus, vi suæ justitiæ itinera malitiæ ejus increpare. Dicere Dei est: *[Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis super terram?]* tales electos suos justificando facere, quibus nimirum apostata angelus possit invidere. Dicere Dei est: *[Ecce univversa quæ habet, in manu tua sunt.]* ad probationem fidelium, contra eos occulta vi incursum illum suæ malitiæ relaxare. Dicere Dei est: *[Tantum in eum ne extendas manum tuam:]* ab immoderate tentationis impetu eum etiam permittendo restringere. Diaboli autem dicere est: *[Circumvi terram, & perambulavi eam:]* sagacitatem suæ malitiæ invisibilibus ejus oculis occultare non posse. Dicere diaboli est: *[Numquid frustra Iob timet Deum?]* contra bonos intra cogitationum suarum latibula conqueri: eorumque profectibus invidere, atque invidendo reprobationis rimas exquirere. Dicere diaboli est: *[Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet:]* ad afflictionem bonorum, malitiæ æstibus anhelare. Quod enim eorum tentationem invidens appetit, eo illorum quasi probationem deprecans petit. Quia igitur internarum locutionum modos succinctè diximus, ad intermissum paululum expositionis ordinem revertamur.

Quod diabolus non contra Iob, sed contra Dominum certamen inivit.

#### CAPUT V.

**N**umquid considerasti servum meum Iob, quod non sit similis ei super terram, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Præcedenti jam sermone tractatum est, quia diabolus non contra Iob, sed contra Deum certamen proposuit, materia verò certaminis beatus Iob in medium fuit. Et si in sermonibus suis dicimus Iob inter

flagella deliquisse, quod sentire nefas est, Deum dicimus in sua propositione victoriam perdidisse. Nam ecce & in hoc loco intendum est: quia non prius diabolus beatum Job à Domino petiit, sed cum Dominus in diaboli despectum laudavit. Et nisi in sua justitia permanens nosset, non utique pro illo proponeret. Nec periturum in tentatione concederet, de quo ante tentationem, ex Dei laudibus, in tentatoris mente, invidia fuerant faces excitatae. Sed antiquus adversarius cum qua accuset mala, non invenit, ipsa ad malum inflectere bona quaerit. Cumque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perferatur. Cum nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tamquam bona facta bono animo non fiant, & ideareo perpendi à iudice bona non debeant. Quia enim fructus arboris esse & in aestu virides conspicit; quasi vermem ponere ad radicem quaerit. Nam dicit: [ *Nunquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum eius, universamque substantiam eius per circuitum? Operibus manuum eius benedixisti, & possessio illius crevit in terra.* ] Ac si aperte dicat: Qui tot bona in terra recepit, quid mirum est, si pro eis se innocenter gerit? Innocens verè esset, si bonus inter adversa peristeret. Cur autem magnus dicitur, quem merces sui uniuscuiusque operis, tanta rerum multitudine comitatur? Astutus quippe adversarius cum sanctum virum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud iudicem per adversa festinat: Vnde rectè in Apocalypsi voce angelica dicitur: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Scriptura autem sacra saepe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo & nocte accusare non desinit: quia modò nos in prosperis, modò in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cum prosperis male nos uti insinuat. In nocte accusat, cum in adversis nos non habere patientiam demonstrat. Beatum ergo Job, quia necdum flagella attingerant, quasi adhuc unde in nocte accusare posset, omnino non habebat. Quia verò in prosperis magna sanctitate vigerat, pro eisdem prosperis bona illum egisse simulabat: versuta assertionem mentiens, quòd non ad usum Domini substantiam possideret, sed ad usum substantiae Dominum coleret. Sunt enim nonnulli, qui ut fruuntur Deo, dispensatorie utuntur hoc saeculo. Et sunt nonnulli, qui ut fruuntur hoc saeculo, transitorie uti volunt Deo. Cum igitur bona divini muneris narrat, putat quòd fortis operari facta leviget: ut cuius vitam reprehendere de operibus non valet, ejus mentem quasi ex cogitationibus \* addicat; mentiens quòd non amore Domini, sed temporalis prosperitatis appetitione servierit, omne quod innocuè exterius vixit. Vires ergo beati Job nesciens, sed tamen unumquemque adversis probari verius sciens, tentandum hunc expetit: ut qui per diem prosperitatis inoffenso gressu incesserat, saltem in nocte adversitatis impingeret, & ante laudatoris sui oculos offensionem impatientiae prostratus jaceret. Unde subjungit:

*Quid diabolus nihil possit nisi permissus.*

#### CAPUT VI.

*Ed extende paululum manum tuam, & tange sancta, qua possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* ] Cum sanctum virum satan tentare appetit, & tamen Domino, ut manum suam extendere debeat, dicit, valde notandum est: quia ferendi vires nec ipse sibi tribuit, qui contra auctorem omnium singulariter superbit. Scit namque diabolus quia quodlibet agere ex semetipso non sufficit: quia nec per semetipsum in eo quòd est spiritus existit. Hinc

A est quòd in Evangelio expellenda de homine legio dicebat: *Si eicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Qui enim per semetipsum ire in porcos non poterat, quid mirum si sine auctoris manu, sancti viri domum contingere non valebat; Sciendum verò est, quia satanae voluntas semper iniqua est, sed numquam potestas injusta: quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem. Quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi justè permittit. Unde bene in libris Regum dicitur: *Spiritus Domini malus irruerat in Saul.* Ecce unus idemque spiritus, & Domini appellatur & malus: Domini videlicet per licentiam potestatis justae; malus autem per desiderium voluntatis injustae. Formidari ergo non debet, qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa timenda est, quae cum hostem servire permiserit, ei ad usum justiciam, & injusta illius voluntas servit. Paululum verò manum postulat extendi, quia exteriora sunt, quae expetit conteri. Neque enim satan facere se aliquid multum putat, nisi cum animam faciat; ut ab illa patria feriens revocet, à qua ipse longè telo superbiae suae prostratus jacet. Sed quid est, quod ait: [ *Nisi in faciem benedixeris tibi?* ] Nos nempe quod amamus respicimus: quod verò averfari volumus, ab eo faciem declinamus. Quid itaque Dei facies, nisi respectus ejus gratiae \* perhibetur intelligi: Ait ergo: [ *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, qua possidet, nisi in faciem benedixeris tibi.* ] Ac si aperte dicat: Ea, quae dedisti, subtrahere nam si accepta perdidit, respectum gratiae tuae, ablatis rebus temporalibus, non requirit. Si enim ea, quibus delectatur, non habuerit, favorem tuum etiam maledicendo contemnet. Cujus petitione callida nequaquam provocata veritas vincitur, sed ad deceptionem suam hosti conceditur, quod fideli famulo ad augmentum muneris suffragetur. Unde mox subditur:

*Quomodo Deus tentatori in quibusdam dat licentiam, in aliis verò retinet, & refranat.*

#### CAPUT VII.

*Dixit ergo Dominus ad satan: Ecce universa, qua habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.* ] Consideranda est in verbis Domini dispensatio sanctae pietatis, quomodo hostem nostrum permittit, & retinet, & relaxat, & refranat. Alia ad tentandum dat, alia ad assigendum, sed ab aliis religat. [ *Ecce universa, qua habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.* ] Substantiam prodit, sed tamen corpus ejus protegit, quod quidem postmodum tentatori traditurus est; sed tamen non simul ad omnia relaxat hostem, ne undique feriens frangat civem. Mala enim cum multa electis eveniunt, mirà conditoris gratia ex tempore dispensantur: ut quae coacervata perimerent, possint divisa tolerari. Hinc Paulus ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere.* Hinc David ait: *Proba me Domine, & tenta me.* Ac si aperte dicat: Prius vires inspicere, & tunc ut ferre valeo, tentari permittit. Hoc tamen quod dicitur: [ *Ecce universa, qua habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.* ] Intelligi & aliter potest, quia fortem quidem pugnatorem suum Dominus noverat, sed tamen dividere ei certamina contra hostem volebat: ut quamvis robusto bellatori victoria in cunctis suppeteret, prius tamen de uno certamine hostis ad Dominum victus rediret: tuncque ei aliud iterum vincendo concederet, quatenus fidelis famulus eò mirabilis victor existeret, quòd victus hostis se contra illum iterum ad nova bella repararet. Sequitur:

Quod Deus est intra omnia, & extra omnia, & supra omnia, & infra omnia.

## CAPUT VIII.

12. **E**gressusque est satan à facie Domini ] Quid est quod satan à facie Domini egressus dicitur? Quod enim exitur ab eo, qui ubique est? Hinc namque ait: *Cælum & terram ego impleo.* Hinc *1ere. 23. e* *Eccl. 1. 24.* est, quod sapientia illius dicit: *Gyrum cæli circumvolat sola.* Hinc de ejus spiritu scriptum est: *Sap. 1. b* *Spiritus Domini implevit orbem terrarum.* Hinc *1sa. 23. a* est, quod Dominus dicit iterum: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Hinc *1sa. 40. b* rursum de eo scriptum est: *Cælum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit.* Sedi quippe, cui præsidet, interior & exterior manet. Cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creavit exterior. Id namque quod interiorius concluditur, à concludente exteriorius continetur. Per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interiorius supraque. Per pugillum, quo continet, esse exteriorius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & interior per sustentationem: exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens: extra circumdans, interiorius penetrans, nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior: sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Unde superiorius præsidens, inde inferiorius sustinens, & unde exteriorius ambiens, inde interiorius replens, sine inquietudine superiorius regens, sine labore inferiorius sustinens, interiorius sine extenuatione penetrans, exteriorius sine extensione circumdans. Est itaque inferior & superior sine loco: est amplior sine latitudine: est subtilior sine extenuatione. Quod igitur ab eo exitur, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? Sed quamdiu satan pressus majestatis potentia, appetitum suæ malitiæ exercere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit. A facie autem Domini exiit, quia relaxatus divinitus ab interna retentionis angustia, ad sui desiderij effectum venit. A facie Domini exiit, quia diu vinculis disciplinæ religata quandoque voluntas noxia ad opus processit. Cum enim, sicut dictum est, id quod voluit, implere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit, quia illum ab effectu malitiæ superna dispensatio coarctavit. Sed à facie Domini exiit, quia potestatem tentationis accipiens, ad malitiæ suæ vota pervenit. Sequitur:

13. *Quod convivantibus filiis Iob, ex ipsa comestatione diabolus tentandi occasionem accepit, & quomodo de minoribus ad maiora paulatim progreditur.*

## CAPUT IX.

**C**um autem quadam die filii & filia eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nunciatus venit ad Iob, qui diceret: *Boves arabant, & asine pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, & ruleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & ego evasi solus, ut nunciarem tibi.* ] Notandum, quæ tempora tentationibus congruant. Tunc quippe diabolus tentandi tempus elegit, quando beati Iob filios in convivio invenit. Neque enim solummodo intuetur hostis, quid faciat, sed etiam quando faciat.

**A** Nam quamvis potestatem accepisset, aptum tamen ad subversionem tempus exquirivit, ut videlicet nobis Deo dispensante proderetur, quia prænantia tribulationis est læticia satietatis. Intuendum verò est, quam callidè ipsa damna que illata sunt, nunciantur. Non enim dicitur: *Boves à Sabæis ablati sunt: sed qui ablati sunt, Boves arabant, ut videlicet memorato fructu operis, causa crescat doloris.* Unde & apud Græcos, non solum asinæ, sed asinæ fœtæ raptæ referuntur: ut dum minima animalia audientis animum minus ex sui qualitate percuterent, amplius ex fecunditate vulnerarent. Et quia eò magis adversa animum feriunt, quod cum multa sunt, etiam subita nunciantur, aucta est mensura gemituum, etiam per particulam nunciorum. Nam sequitur: *[Cumque adhuc ille loqueretur, venit alius & dixit: Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oves puerosque consumpsit, & effugi ego solus, ut nunciarem tibi.]* Ne rebus perditis minore audienti dolorem moveat, ejus animum ad exercendum etiam ipsis nunciorum verbis instigat. Intuendum quippe est, quam callidè dicitur: *Ignis Dei,* ac si aperte diceretur: *Illius animadversionem sustines, quem tor hostis placare voluisti: illius iram toleras, cui quotidie serviens infudabas.* Dum enim Deum, cui servierat, adversa intulisse indicat, ab eo læsum commemorat, in quo excedat: quatenus antea cuncta obsequia ad mentem reduceret, & frustra se servisse æstimans in auctoris injuriam superbirer. Pia etenim mens cum se adversa ab hominibus perpeti conspiciat, in divinæ gratiæ consolatione requiescit: cumque tentationum procellas increcere extrinsecus viderit, secessum spei Dominicæ appetens, intra conscientiam portum fugit. Ut verò verus hostis uno eodemque tempore sancti viri robustissimum pectus & humanis adversitatibus, & divina dispensatione concuteret, & prius Sabæos irruisse intulit, & mox ignem Dei de cælo cecidisse nunciavit, ut quasi omnem aditum consolationis excluderet; dum & ipsum adversantem ostenderet, qui consolari animum inter adversa potuisset: quatenus dum se tentatus undique destitui atque undique premi considerat, in contumeliam tantò audaciùs, quantò & desperatiùs erumpat. Sequitur: *[Et adhuc loquente illo, venit alius & dixit: Chaldæi fecerunt iras turmas, & invaserunt camelos, & rulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & effugi ego solus, ut nunciarem tibi.]* Ecce iterum, ne quid minus de humana adversitate doluisset, Chaldæorum turmas irruisse denunciat: & ne illum minus desuper veniens adversitas feriat, iteram iram in aère demonstrat. Nam sequitur: *[Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filii tui & filiiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, que corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, ut nunciarem tibi.]* Qui uno vulnere non prosternerit, idcirco bis, terque percutitur, ut usque ad intima quandoque feriat. Nunciata itaque fuerat adversitas de Sabæis, nunciata divina animadversio per ignem de cælo, nunciatur ab hominibus iterum camelorum raptus, caedesque puerorum, & divinæ indignationis ira repetitur, dum ventus irruens concussisse domus angulos, atque extinxisse liberos indicatur. Quia enim notum est, quod absque superno nutu moveri elementa non possint; latenter infertur, quod ipse contra illum elementa moverit, qui moveri permisit; quamvis satan à Domino semel accepta potestate ad usum suæ nequitie etiam elementa concutere prævalet. Nec movere debet, si spiritus de summis projectus turbare in

14.

\* al. excedendum

15.

ventos aërem potuit: cum nimirum constet, quia & damnatis in metallum, ad usum aqua & ignis servit. Quæsitum est igitur, ut nunciarentur mala: quæsitum est, ut multa: quæsitum est, ut subita. Sed cum prius adversa nunciavit, tranquillo adhuc pectore quasi sanis membris vulnus infixit: cum vero percussum cor feriendo repetit, ut ad impatientiæ verba compelleret, super vulnera vulnus irrogavit. Intuendum verò est, quam callidè curavit hostis antiquus, non tam jacturâ rerum sancti viri patientiam rumpere, quam ipso ordine nunciorum. Qui studens prius parva, & postmodum nunciare majora, in extremo filiorum mortem intulit: ne vilia pater rei familiaris damna duceret, si illa jam orbatus audiret, & minus percuteret rerum amissio, præcognita morte filiorum; quia videlicet nulla esset hereditas, si illos prius subtraheret, qui servabantur heredes. Sed à minimis incipiens in ultimum graviora nunciavit; ut dum gradatim deteriora cognosceret, in ejus corde doloris locum omne vulnus inveniret. Notandum, quam callidè tot malorum pondera, & divisa, & subita nunciantur: ut & repente, & particulatim crescens, in audientis corde dolor sese ipse non caperet, & tantò ardentius in blasphemiam accenderet, quantò subitis ac multiplicibus nunciis in se angustius æstuarer.

*Quòd dissolutio Præpositorum sit ruina minorum.*

#### CAPUT X.

16. **I**N domo fratris sui primogeniti. ] Sed neque hoc in negligenter prætereundum puto, quòd ejus filij in majoris fratris domo convivantur, cum pereunt. Dicitur namque est superius, quòd convivia peragi sine culpa vix possunt. Ut ergo nostra, non aliorum loquamur, sciendum nobis est, quia omne quòd à minoribus voluptuosè agitur, majorum disciplinâ cohibetur. Cum verò majores ipsi voluptati deferunt, nimirum minoribus lascivie fræna laxantur. Quis enim sub disciplinâ se constrictione contineat, quando & ipsi, qui jus constrictiois accipiunt, sese voluptatibus relaxant? Dum ergo in majoris fratris domo convivantur, pereunt: quia tunc contra nos hostis vehementius vires accipit, quando & ipsos, qui pro custodia disciplina prælati sunt, ventri servire cognoscit. Tantò enim licentius ad feriendum occupat subditos, quantò & hi, qui intercedere pro culpâ poterant, voluptati vacant. Absit autem ut tanti viri filios per conviviorem studia ingurgitando ventri vacasse suspicemur: sed tamen veraciter novimus, quia etsi per disciplinâ quisque custodiam necessitatis metas edendo non transit, accensa tamen mentis intentio inter convivia torpescit; & minus in quanto sit tentationum bello considerat, qui se per securitatem relaxat. In domo ergo primi fratris filios obruit: quia antiquus hostis in minorum morte subversionis aditum per negligentiam majorum quærit. Sed quia quantis nunciorum jaculis sit percussus, agnovimus; vir fortis noster, qualis inter vulnera consistat, audiamus. Sequitur:

*Quòd Iob in eo quòd filios luxit, & Deum adoravit, manifeste ostendit, quam immobilis in Dei & proximi charitate extiterit.*

#### CAPUT XI.

**T**unc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua: & tonsò capite corruens in terram adoravit. ] Nonnulli magnæ constantiæ philosophiam putant, si disciplinâ asperitate correpti, ictus verborum dolorumque non sentiant. Nonnulli verò tam nimis percussionum flagella sentiunt, ut immoderato dolore commoti, etiam in excessum linguæ dilabantur.

**A** Sed quisquis veram philosophiam nititur tenere, necesse est, ut inter utraque gradiatur. Non est enim pondus veræ virtutis, insensibilitas cordis: quia & valde insana per stuporem membra sunt, quæ & incisa sentire dolorem nequaquam possunt. Rursus virtutis custodiam deserit, qui dolorem verberum ultra quàm necesse est sentit: quia dum nimia afflictione cor tangitur, usque ad impatientiæ contumelias excitatur; & qui per flagella corrigere malefacta debuerat, agit ut nequitia per flagellum crescat. Contra insensibilitatem quippe percussorum per Prophetam dicitur: *Percussisti eos, Iere. 5. & nec doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* Contra pusillanimitatem percussorum per Psalmistam dicitur: *In miseriis non subsistens.* 17.

**B** In miseriis namque subsisterent, si æquanimiter adversa tolerarent. At postquam mente inter flagella corruunt, quasi inter illatas miseras subsistendi constantiam perdunt. Beatus itaque Job, quia veram philosophiæ regulam tenuit, contra utraque mira se æquitatis arte servavit: ut nec quasi dolorem non sentiens, flagella sperneret; nec rursus ultra modum dolorem sentiens, contra iudicium flagellantis insaniret. Cunctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis, surrexit, scidit vestimenta sua; & tonsò capite corruens in terram, adoravit. Quòd vestimenta scidit, quòd tonsò capite in terram corruit, monstrat nimirum, quia flagelli dolorem sensit. Quòd verò additur: *Adoravit*, aperte ostenditur, quia & in dolore positus contra flagellantis

**C** iudicium non excessit. Nec omnino ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibilitate contemneret: nec rursus omnino motus est, ne nimis dolendo peccaret. Sed quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi; ut dilectionem proximi exolveret, impendit filii luctum: ne dilectionem Dei desereret, explevit inter gemitus orationem. Solent nonnulli in prosperis Deum diligere, in adversis autem positi flagellantem minus amare. Beatus autem Job per hoc, quòd motus exterioris exhibuit, ostendit quia flagella patris agnovit: per hoc, quòd adorando humilis mansit, ostendit quia amorem patris nec in dolore deseruit. Ne igitur superbus esset non sentiens, in percussione corruit: ne autem se ferienti extraneum faceret, ad hoc corruit, ut adoraret. Mos autem veterum fuit, ut quisquis speciem sui corporis capillos nutriendo servaret, eos tempore afflictionis abscideret: & rursus qui tranquillitatis tempore capillos abscideret, eos in ostensione afflictionis nutrirer. Beatus igitur Job tranquillitatis tempore capillos servasse ostenditur; cum ad doloris usum caput totondisse memoratur: quatenus cum in cunctis eum rebus manus superna percuteret, etiam sponte illum penitentiae species diversa fuscaret: sed iste exutus rebus, filii orbatus, qui vestimenta scidit, qui caput totondit, qui in terram corruit, quid dicat, audiamus.

*Quòd in amissione exteriorum magna consolatio sit, considerare quòd hæc temporalia nec aliquando habuimus, nec semper habebimus.*

#### CAPUT XII.

**N**udus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. ] O quàm alta sedi interni consilij præsidet iste, qui scissis vestibus in terra prostratus jacet. Quia enim judicante Domino, cuncta amiserat, pro servanda patientia illud tempus ad memoriâ reduxit, quo necdum ista quæ perdidit, habebat: ut dum intuetur quòd aliquando illa non habuit, dolorem temperet, quòd amisit. Magna enim consolatio est in rerum amissione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse. Quia verò omnes

Ecl.  
40.4

nos terrā genuit, hanc non immeritō matrem vocamus. Unde scriptum est: *Grave iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulture in matrem omnium.* Beatus igitur Job, ut patienter luceat, quod hic amisit, vigilantē attendit qualis huc venerit: ad augmentum autem servandę patientię, adhuc solertiū inspiciat hinc qualis recedat, & dicit: [ *Nudus egressus sum de utero matris meę, nudus revertar illic.* ] Ac si dicat: Nudum me huc intrantem terra protulit, nudum me hinc exeuntem terra recipiet. Qui ergo accepta, sed relinquenda perdidit, quid proprium amisit?

*Quod a diabolo humilitate nostra sternitur, & patientia superatur.*

## CAPUT XIII.

18.  
\* al. adhibenda

\* al. conditor dederat

QUA verō consolatio non solum ex consideratione conditionis \* exhibenda est, sed etiam ex iustitia conditoris, rectē subiungitur: [ *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est.* ] Sanctus vir, tentante adversario, cuncta perdidit, sed tamen sciens, quia contra se fatan tentandi vires, nisi permittente Domino, non habebat, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit; sed, Dominus dedit, Dominus abstulit. Fortasse enim fuerat dolendum, si quod \* Dominus dedit, hostis abstulisset: at postquam non abstulit, nisi ipse qui dedit, sua recepit, non nostra abstulit. Si enim ab illo accipimus, quibus in hac vita utimur, cur dolcamus, quod ipso iudicante exigimur, quo largiente fœneramur? Nec aliquando injustus est creditor, qui dum prefixo reddendi tempore non constringitur, quando vult, exigit quod fœneratur. Ubi & bene subiungitur: [ *Sicut Domino placuit, ita factum est.* ] Cū enim in hac vita quę nolumus, patimur, necesse est, ut ad eum, qui injustum velle nihil potest, studia nostrę voluntatis inclinemus. Magna quippe est consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. Si igitur iusta Deo placere scimus, pati nulla, nisi quę Domino placuerint, possumus; iusta sunt cuncta quę patimur, & valde injustum est, si de iusta passione murmuramus. Sed quia orator fortis quomodo afflictionem partis suę contra adversarium allegavit, audivimus; nunc quomodo in orationis suę termino iudicem benedicendo laudem audiamus. Sequitur: [ *Sit nomen Domini benedictum.* ] Ecce omne quod rectum sentit, Domini benedictione conclusit, ut hinc adversarius inspiciat, & ad pœnam suam victus erubescat: quia ipse Domino contumax etiam in beatitudine conditus exitit, cui homo hymnum glorię etiam percussus dicit. Intuendum verō est, quia hostis noster tot nos jaculis percutit, quot tentationibus affligit. Quotidie namque in acie stamus, quotidie tentationum eius tela excipimus. Sed & nos contra illum jacula mittimus, si confossi tribulationibus, humilia respondemus. Beatus igitur Job percussus damno rerum, percussus morte filiorum, quia vim doloris vertit in laudem conditoris, dicens: [ *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* ] [ *superbum hostem humilitate \* percussit, crudelē patientia stravit: nec credamus, quod bellator noster accepit, non inflixit & vulnera. Quot enim voces patientię in Dei laudem percussus reddidit, quasi tot in adversarij pectore iacula intorsit: & acriora valde, quā sustinuit, inflixit. Afflictus enim terrena perdidit, sed afflictionem humiliter sustinens cęlestia multiplicavit. Sequitur:*

\* al. percussit

A *Quod Job percussus, nec verbo, nec cogitatione in Deum peccavit.*

## CAPUT XIV.

IN omnibus his non peccavit Job labijs suis: neque stultum aliquid contra Deum locutus est. Quia tentationum tribulationibus deprehensi, etiam tacito cogitationum motu possumus non loquendo peccare; beato Job & oris testimonium perhibetur & cordis. Prius enim dicitur: [ *Non peccavit Job labijs suis.* ] & tunc demum subditur: [ *Neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* ] Qui enim stultum locutus non est, culpam à lingua compescuit: sed cū pręmittitur: *Non peccavit*: constat quod murmurationis vitium etiam à cogitatione restrinxit. Nec ergo peccavit, nec stultum locutus est; quia nec per conscientiam tacitus tumuit, nec linguam in contumaciam relaxavit. Stultē autem contra Deum loquitur, qui inter divinę adversationis flagella positus, iustificare semetipsum conatur. Si enim innocentem se asserere superbē audeat, quid aliud, quā iustitiam ferentis accusat? Hucusque nos verba historię transeurisse sufficiat: jam nunc ad indaganda allegorię mysteria expositionis se sermo convertat.

19.

*Quod Deus tempora sine tempore intuetur: & in luce tenebras videt: & diversa ordinans non est diversus.*

## CAPUT XV.

SED in hoc quod scriptum est: [ *Quadam die cū venissent filij Dei, ut assiderent coram Domino, affuit inter eos etiam fatan:* ] discutiendum prius est, cur quadam die factum aliquid coram Domino dicitur; cū apud illum nequaquam cursus temporis mutatione diei noctisque varietur. Neque enim in ea luce, quę sine accessu ea quę eligit, illustrat, & sine recessu ea quę respuit, deserit, defectus mutabilitatis venit: quia in semetipsa manendo immutabilis, mutabilia cuncta disponit; sicque in se transeuntia condidit, ut apud se transire nequaquam possint: nec tempus intus in conspectu ejus defluit, quod apud nos foris decurrit. Unde fit ut in aternitate ejus fixa maneat ea, quę non fixa exterius saculorum volumina emanant. Cur ergo apud eum dicitur: [ *Quadam die,* ] cui nimirum dies una est aternitas sua? Quam videlicet nec sine claudi, nec initio vidit aperiri Psalmista, cū dicit: *Melior est dies una in aeris tuis super millia.* Sed cū Scriptura sacra de temporaliter editis loquitur, dignum est, ut verbis temporalibus utatur: quatenus condescendendo levet, & dum de aternitate aliquid temporaliter narrat, assuetos temporalibus sensim ad aterna trajiciat; seque bene nostris mentibus aternitas incognita, dum verbis cognitis blanditur, infundat. Quid autem mirum, si in sacro eloquio incommutabilitatem suam Deus prępropere humanę menti non aperit; quando & resurrectionis suę solemnitate celebrata, quibusdam provectionum accessibus innotuit, incorruptionem corporis, quod resumpsit? Luca quippe attestante didicimus, quod quibusdam se in monumento quarentibus prius Angelos misit: & rursum discipulis in via de se loquentibus ipse quidem, sed non cognoscendus apparuit, qui post exhortationis moras cognoscendum se in panis fractione monstravit. Ad extremum verō repente ingrediens, non solum se cognoscibilem, sed etiam palpabilem prębuit. Quia enim infirma adhuc gestabant corda discipuli, in cognitione tantı mysterij ita fuerant divina dispensatione nutriendi, ut paulisper aliquid quarentes invenirent, invenientes crescerent, &

20.

Pf. 83. d.

Luc. 23.  
Ibid.



& crescentes cognita robustius tenerent. Quia igitur non repente, sed causarum verborumque incrementis, quasi quibusdam ad aeternitatem passibus ducimur; intus apud eum quadam die aliquid factum dicitur, qui ipsa quoque tempora sine tempore conuertitur. An, quia etiam satan affuit die quadam, dum hoc factum dicitur, indicare sacra Scriptura studuit, quia in luce Deus tenebras vidit? Nos quippe uno eodemque contuitu lucem & tenebras intueri non possumus: quia cum in tenebris oculus figitur, lux fugatur; & cum ad lucis se coruscationem verterit, tenebrarum umbra discedit. Illa autem vis, quae cuncta mutabilia immutabiliter videt, quasi in die ei satan affuit, quia apostata angeli tenebras sine obscuritate comprehendit. Nos, ut dictum est, uno eodemque intuitu contemplari non possumus, & quae approbando eligimus, & quae reprobando damnamus: quia cum ad hanc animus vertitur, ab illa cogitatione separatur; cum vero ad illam reducitur, ab hac, cui inhæsit, removetur. Deus vero, qui sine mutabilitate simul cuncta respicit, sine distinctione comprehendit: videlicet & bona quae adjuvat, & mala quae iudicat, & quae ad iustitiam remunerat, & quae iudicans damnat; in his quae diverso disponit ordine, diversus non est. In die ergo ei satan affuisse describitur, quia lumen aeternitatis eius nulla mutabilitatis fuscatione tangitur; & in hoc, quod ei tenebrae praesentes sunt, affuisse inter filios Dei dicitur: quia ea vi iustitiae immundus spiritus penetratur, quae videlicet mundorum spirituum corda complentur; eoque radio luminis iste transfigitur, quo illi ut luceant perfunduntur. Inter filios Dei affuit: quia etsi illi Deo ad electorum adiutorium, iste ad probationem servit. Inter filios Dei affuit: quia etsi ab illis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur; iste occultè ejus iustitiae nesciendo serviens, ministerium exequi reprobationis conatur. Unde bene in libris Regum per prophetam dicitur.

*Quod sancti Angeli ad adiutorium electorum; satan vero ad probationem, Deo serviat.*

## CAPUT XVI.

3. Reg.  
22. b

**V**idi Dominum sedentem super solium suum: & exercitum caeli à dextris eius & à sinistris, & dictum est: In quo decipiam Achab, ut ascendat & cadat in Ramoth Galaath? Et dixit alius ita, & alius aliter. Et egressus est unus, & dixit: Ego decipiam Achab: & dictum est: In quo decipies? Qui respondit, dicens: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Quid enim solium Dei, nisi angelicas potestates accipimus, quantum mentibus altius praesidens, inferius cuncta disponit? Et quid exercitus caeli, nisi ministrantium Angelorum multitudo describitur? Quid est ergo, quod exercitus caeli à dextris & sinistris ejus stare perhibetur? Deus enim, qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, nec dextram, nec sinistram concluditur. Sed dextra Dei, Angelorum pars electa: sinistra autem Dei, pars angelorum reproba designatur. Non enim ministrant Deo solummodo boni, qui adjuvent; sed etiam mali, qui probent: Non solum qui à culpa redemptes sublevent; sed etiam qui redire nolentes gravent. Nec quod caeli exercitus dicitur, angelorum pars reproba in eo intelligi posse perhibetur. Quas enim suspendi in aëre novimus, aves caeli nominamus. Et de eisdem spiritibus Paulus dicit: *Contra spiritualia nequiae in caelestibus*. Quorum caput enuncians, ait: *Secundum principem potestatis aeris huius*. A dextera ergo Dei & sinistra angelorum exercitus stat, quia & voluntas electorum spirituum divina pietatis con-

Ephes.  
6. b  
Ephes.  
2. 4

S. Greg. Tom. I.

cordat; & reproborum sensus suae malitiae serviens, iudicio distractionis ejus obtemperat. Unde & mox fallax spiritus in medium profuissse describitur, per quem Achab rex, exigentibus suis meritis, decipitur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciae deservire voluisse, ut diceret: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*; sed quia Achab rex ex praecedentibus peccatis dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari: quatenus qui saepe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad poenam. Occultam iustitiam licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati poenam etiam nolentes trahant. Quod ergo illic à dextris atque à sinistris Dei, exercitus caeli astitisse describitur; hoc hic inter filios Dei satan affuisse perhibetur. Ecce à dextris Dei steterunt Angeli, qui nominantur filii Dei: ecce à sinistris Angeli stant, quia affuit inter eos etiam satan. Sed quia allegoriae mysteria indagare decrevimus, non inconvenienter accipimus, quod in die Dominus satan vidit, quia vias ejus in sapientiae suae incarnatione corripuit: quasi eum non vidisset, fuerit, tam diu pravitatem illius in humani generis perditione tolerasse. Unde & ei divina voce mox dicitur: *[Unde venis?]* In die satan requiritur de viis suis, quia in luce manifestatae sapientiae, occulti hostis insidiae deteguntur. Quia ergo incarnato Domino diabolus increpatur, & à sua peitifera effractione corripitur, rectè subjungitur: *Cui dixit Dominus: Unde venis?* Tunc enim satanae vias requirendo arguit, cum per mediatoris adventum persuasionis ejus nequitias reprimens increpavit. Nec immeritò in hoc die filii Dei coram Domino astitisse referuntur; quia videlicet ad aeternae patriae vocationem electi omnes, luce sapientiae se illustrante, collecti sunt. Quos quamvis incarnata sapientia aggregare affectu operis venerat; divinitati tamen illius jam per ejus praesentiam intrinsicè assistebant. Sed quia de viis suis antiquus hostis Redemptore veniente discutitur, quid dicat audiamus.

*Quod ab Adam ad adventum Christi satan nullum, qui sibi plene resisteret, repererit.*

## CAPUT XVII.

**C**ircuivi terram, & perambulavi eam. ] Ab Adam quippe, ante adventum Domini, omnes post se gentium nationes traxit. Circuivit terram & perambulavit, quia per corda gentium iniquitatis suae vestigia impressit. Cadens enim à sublimibus humanas mentes jure possedit, quia in culpa suae vinculo volentes astrinxit: tantoque latius in mundo vagatus est, quanto à reatu illius quisquam liber per omnia inventus non est. Cui quasi ex potestate mundum circuissse, est nullum hominem, qui sibi plenè resisteret, invenissse. Sed jam satan redeat, id est, ab effectu suae malitiae vis illum divina constringat, quia jam apparuit in carne, qui in peccati contagione, ex carnis nihil habebat infirmitate: Venit humilis, quem & superbus hostis admiretur: quatenus qui fortia divinitatis ejus despexerat, etiam humanitatis ejus infirma pertimescat. Unde & mox significatione mirifica, contra eum ipsa humanitatis infirmitas obstupescenda proponitur, ut dicatur: *[Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?]* Quod Job interpretetur dolens, paulò antè jam diximus. Dolens vero ipse veraciter per figuram dicitur, qui portare dolores nostros, propheta attestante, perhibetur. Cui in terra similis non est, quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus & homo. In terra ei similis non

D

est, quia et si adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter sit, accipit. Qui bene etiam servus dictus est, quia formam servi suscipere dignatus est. Nec majestati injuriam intulit assumpta humilitas carnis: quia & ut servanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec divina humanitate minuit, nec humana divinitate consumpsit: quia et si per Paulum dicitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: ei semetipsum exinanivisse, est ab invisibilitatis suae magnitudine se visibilem demonstrasse: ut servi forma regeret hoc, quod incircumscripte omnia ex divinitate penetraret. Dei autem ad satan per figuram dicere, *Numquid considerasti servum meum Iob?* est, unigenitum filium contra eum in forma servi admirabilem demonstrare. Eo enim ipso, quo illum tantae virtutis in carne innotuit, quasi superbienti adversario, quod dolens confideret, indicavit. Sed quia bonum quod miraretur, intulerat; restat, ut ad reprimendam ejus superbiam virtutes illius adhuc enumerando subjungat. Sequitur: [*Homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo*] Venit namque inter homines mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, ad praebendum exemplum vitae hominibus, simplex: ad non parcendum malignis spiritibus, duplex: ad debellandam superbiam, timens Deum: ad detergendam verò in electis suis vitae immunditiam, recedens a malo. De ipso enim per Isaiam principaliter dicitur: *Et replebit eum spiritus timoris Domini*. Et ipse a malo singulariter recessit, quia facta imitari noluit, quae in hominibus invenit, quoniam attestante Petro: *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Sequitur: [*Respondens satan ait: Numquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio illius crevit in terra*] Antiquus hostis Redemptorem humani generis, debellatorem suum in mundum venisse cognovit: unde & per obsequium hominem in Evangelio dicitur: *Quid nobis, & tibi, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret, & posse mortalia perpeti humanitatis videret; & omne quod de ejus divinitate suspicatus est, ei fastu superbiae suae in dubium venit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde & ad tentationum se argumenta convertit, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Quia igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credit. Unde & nunc inferre perhibetur: [*Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra*] Eum quippe ac domum ejus a Deo vallatam dicit, quia tentando ejus conscientiam penetrare non potuit. Substantiam ejus vallatam asserit, quia electos ejus invadere non praesumit. Operibus manuum ejus benedixisse Deum, & possessionem ejus crevisse in terra queritur: quia scilicet tabescens videt, quod fides ejus in notitiam hominum, praedicantibus Apostolis multiplicatur. Possessio quippe ejus crescere dicitur, dum laborantibus praedicatoribus, fidelium quotidie numerus augetur. Haec itaque satan Deo dixisse, est talia invidendo sensit. Haec satan Deo dixisse est, de his tabescendo doluisse. Sequitur: [*Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quae possides, nisi in faciem benedixerit tibi*] Quem enim tranquillitatis tempore, Dei gratia custoditum credit, peccare posse per passionem putavit. Ac*

si aperte dicat: Interrogatus afflictionibus homo, & peccator agnoscitur, qui in miraculis Deus putatur. Dixit ergo Dominus ad satan: [*Ecce universa quae habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam*]. Cum factam historiam sub figurali intellectu discutimus, satanae manus non potestas, sed tentatio debet intelligi. Universa itaque quae habet, in manum tentantis dantur, & in eum tentationis manus extendi prohibetur: quod tamen fieri substantia amissa conceditur: quia nimirum prius Judaea, quae possessio ejus fuerat, in infidelitate subblata est, & post ejus caro patibulo crucis affixa. Qui igitur prius Judaea adversantem pertulit, & postea usque ad crucem venit: quasi prius habita amisit, & post in semetipso adversantis nequitiam pertulit. [*Egressusque est satan a facie Domini*]. Sicut & superius dictum est, satan a facie Domini exiit, quia ad desiderij sui vota pervenit. Quasi enim ante ipsum erat, dum propter ipsum, quod male stitabat, implere non poterat. [*Cum autem quadam die filij ejus & filia comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti*]. Beati Job filios ac filias, vel Apostolorum ordinem, vel cunctorum fidelium multitudinem diximus designasse. Incarnatus autem Dominus prius ex Judaea ad fidem paucos elegit, & post sibi multitudinem populi gentilis aggregavit. Quis autem major Domini filius, nisi Judaicus populus accipi debet, qui ei dudum datae legis fuerat doctrina generatus: minor autem gentilis populus, qui in mundi extremitate collectus est? Quia igitur cum satan utilitati hominum nesciens deserviret, & corruptis persecutorum cordibus licentiam Dominicae passionis expeteret; sancti Apostoli necdum aggregandam Deo Gentilitatem noverant, & soli Judaea fidei arcana praedicabant: cum satan exiisset a facie Domini dicitur, & filij & filia in domo fratris primogeniti convivari referuntur. Dicitur quippe eis fuerat: *In viam gentium ne abieritis*. Post mortem namque, resurrectionemque Domini in gentium praedicationem conversi sunt. Unde & in suis Actibus dicunt: *Vobis oportebat loqui primum verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos judicastis aeterna vita: ecce convertimur ad Gentes*. Hi itaque filij sponsi, de quibus & ejusdem voce sponsi dicitur: *Non jejunabunt filij sponsi, quamdiu cum illis est sponsus: in domo fratris primogeniti convivantur, quia videlicet adhuc Apostoli sacrae Scripturae deliciis in solius Judaici populi collectione vescantur*.

Quod simplices perfectissimis adherentes, eorum intellectu pascuntur.

## CAPUT XVIII.

Nuncius venit ad Iob, qui diceret: *Boves arabant, & asinae pascebantur juxta eos, & irruerunt Sabaei, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus, ut nunciarem tibi*.] Quid aliud in figura per boves, quam bene operantes: quid aliud per asinas, quam quosdam simpliciter viventes accipimus? Quae bene juxta boves pasci referuntur: quia mentes simplicium etiam cum alta sapere non possunt, eo magis vicinae sunt, quod & fraterna bona sua per charitatem credunt: cumque invidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime dividunt. Simul ergo se asinae cum bobus reficiunt, quia prudentibus conjuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur. Sabaei autem captivantes interpretantur. Et qui alij captivantium nomine, nisi immundi spiritus designantur, qui cunctos,

53

quos sibi subjiciunt, in infidelitatem captivos ducunt: Qui & pueros gladio feriunt, quia eos tentationis suae graviter jaculis vulnerant, quos nequam juvenilis constantia liberos, vel robustos servat. Qui bene quidem bona incipientia, sed in ipsa adhuc inchoationis suae teneritudine, captivantibus immundis spiritibus subternuntur. Quos gladio hostis percudit, quia aeternitatis desperatione transfigit.

Quod verbum Dei non percat etiam cum non perierint hi, adversus quos mala praedixit.

CAPUT XIX.

Quid est autem hoc quod nuncius venit, qui diceret: [Ego evasi solus?] Quis est iste nuncius, qui aliis pereuntibus solus evadit, nisi propheticus sermo, qui, dum sunt mala omnia quae praedixit, quasi sanus ad Dominum solus redit? Dum enim vera dixisse de perditorum casu cognoscitur, quasi inter mortuos vixisse monstratur. Hinc est, quod ad Rebeccam in Isaac conjugio deducendam puer mittitur: quia videlicet ad despondendam Ecclesiam Domino, interposita prophetia famulatur. Sabaeis ergo irruentibus, solus puer, qui nunciaret, evasit: quia malignis spiritibus infirmorum mentes in captivitatem ducentibus sententia Prophetiae convaluit, quae eandem captivitatem praenuncians dicit: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Prophetia ergo quasi salvatur, dum captivitas, quam praedixit, ostenditur. Sequitur:

Quod dum praepositi gloriam propriam quaerunt, subditorum corda subvertuntur.

CAPUT XX.

Utique adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: *Ignis Dei cecidit de caelo, & ractas oves, puerosque consumpsit, & effugi ego solus, ut nunciarem tibi.* Omnes, qui praedicationis officium in synagoga tenuerunt, caelum recte vocati sunt: quia nimirum sapere caelestia credebantur. Unde & Moyses, cum sacerdotes ac populum ad verba suae admonitionis excitaret, dixit: *Attende caelum, & loquar, & audiat terra verba ex ore meo.* Per caelum videlicet signans praepositorum ordinem, per terram vero subditorum plebem. Hoc igitur loco caelum, sacerdotes, vel Phariseos, vel legis doctores non inconvenienter accipimus, qui ante oculos hominum dum caelestibus officiis infervirent, quasi desuper lucere videbantur. Sed quia ipsi summopere in Redemptoris nostri adversitate commoti sunt, quasi ignis de caelo cecidit: dum ad decipiendum imperitum populum, ab his etiam qui vera docere putabantur, flamma invidia exarsit. Teste quippe Evangelio novimus, quod doctrinae veritatis invidentes, opportunitatem Dominicae traditionis exquirebant: sed metuentes populum, quae moliebantur innotescere non audebant. Hinc etiam in eo scriptum est, quod dissuadendis populis dicunt: *Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariseis? Sed turba haec, quae non novit le gem, maledicti sunt.* Quid autem in ovis atque in pueris, nisi innocentes quosque, sed tamen adhuc infirmos, accipimus? Qui dum adversitatem Pharisaeorum ac principum tolerare timerant, infidelitatis coneminatione consumpti sunt. Dicatur ergo: [Ignis Dei cecidit de caelo, & ractas oves, puerosque consumpsit.] id est, a praepositorum cordibus flamma invidia corruit, & quidquid boni in plebibus oriebatur, incendit: quia dum mali praepositi suum contra veritatem honorem exigunt, ab omni rectitudine corda sequentium subvertunt. Ubi & bene adjungitur, *Et effugi ego solus, ut nunciarem tibi:*

S. Greg. Tom. I.

quia dum impletur praedicta causa malitiae, fallaciae interitum evadit sermo prophetiae, qui ait: & nunc ignis adversarios consumit. Ac si aperte dicat: Malos non solum ignis per vindictam post cruciat, sed nunc etiam per livorem cremat: quia qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc semetipsum afficiunt invidiae tormento. Puer ergo solus fugiens remeat, & igne periisse oves puerosque denunciat, dum prophetia Iudaicum populum deserens, vera se dixisse manifestat, quae ait: Zelus apprehendit populum ineruditum. Ac si aperte dicat: Dum verba prophetarum discutere plebs noluit, sed credulitatem suam verbis invidentium dedit, zeli igne perijt: quia in alienae invidiae se flamma concremavit. Sequitur: [Sed & illo adhuc loquente, venit alius & dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percusserunt gladio: & effugi ego solus, ut nunciarem tibi.] Quia Chaldaeos feroces interpretari novimus, qui alij Chaldaeorum nomine designantur, nisi persecutionis auctores usque ad apertos clamores malitiae prorumpentes, cum dicunt: *Crucifige, crucifige? Qui de semetipsis tres turmas faciunt, cum se ad proponendas quaestiones Domino Pharisei, Herodiani, & Sadducei diviserant. Qui ore quidem sapientiae videri sunt: sed quia stultos quosdam post se eos traxisse credendum est, factis turmis camelos tulerunt. Unusquisque namque eorum ordo in prava quae sapuit, insipientium corda corrumpit; & dum persuadendo ad interitum pertraxit, quasi tortuosas mentes infirmantium ad captivitatem duxit. Praedicante quippe in Samaria Domino, multi ex Samaritanis fuerunt in possessionem ejusdem Redemptoris nostri adsciti. Sed numquid ij, qui pro septem viris unius mulieris mortuis, de resurrectionis desperatione Dominum tentant, nequaquam conati sunt credentes Samaritanos a fide reducere, quos constat spem resurrectionis ignorare? Qui dum ex lege nonnulla recipiunt; nonnulla contemnunt, quasi camelorum more, velut animal mundum ruminant sed ut immundum nequaquam unguam findunt: quamvis & eos camelum ruminantes, sed tamen unguam non findentes indicant, qui in Judaea juxta litteram historiam audierant, sed virtutem ejus spiritualiter discernere nesciebant. Quos tribus turmis Chaldaei rapiunt, dum Pharisei, Herodiani, & Sadducei ab omni sensus rectitudine iniqua persuasione pervertunt. Simulque pueros gladio feriunt, quia est qui in populo uti jam ratione poterant, eis ipsi non virtute rationis, sed potestatis autoritate contrabant: dumque se quasi praepositos imitari a subditis volunt; est intelligere aliquid sequentes possunt, ex auctoritate tamen suscepti regiminis eos ad perniciem pertrahunt. A quibus bene solus puer qui nuntiet fugit: quia Phariseis, Herodianis, atque Sadduceis iniqua patrantibus, eos mirum deservens propheticus sermo convalescit, qui ait: *Et tenebunt le gem nescierunt me.* Sequitur:*

Quod primo genitus frater sit Iudaicus populus, & domus quatuor angulorum Scribae & Pharisei, & sacerdotes & seniores populi, & ventus a regione deserti immundorum spirituum in sanctos incursus.

CAPUT XXI.

Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: *Filius tuus & filius vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus. Quae corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Paulò antè jam diximus, quod filios & filias, praedicantes Apostolos & plebes subditas sentiamus: qui in domo fratris primogeniti

D ij

convivari referuntur, quia in habitatione adhuc Judaici populi sacrae praedicationis delicijs vescabantur. *Repente autem vehemens ventus irruit a regione deserti.* Regio deserti est cor infidelium, quod dum creator deserit, nullus in habitator colit. Ventus autem vehemens, quid aliud, quam tentatio fortis accipitur? Ventus ergo vehemens a regione deserti irruit; quia in passione Redemptoris nostri contra fideles ejus, fortis tentatio a cordibus Judaeorum venit. Potest etiam deserti regio, derelicta immun-dorum spirituum multitudo non inconvenienter intelligi. A qua ventus venit, & domum concutit: quia ab eis tentatio prodijt, & persecutorum corda commovit. Sed haec domus, in qua convivabantur filij, in quatuor angulis stabat. Tres enim gen-tium ordines in synagoga cognovimus, sacerdotum scilicet, scribarum atque seniorum populi. Quibus si & Pharisaos jungimus, quatuor in hac domo angulos invenimus. A regione igitur deserti ventus venit, & quatuor angulos domus concutit: quia ab immundis spiritibus tentatio irruit, & mentes qua-tuor ordinum in malitiam persecutionis excitavit. Quae domus corruens, oppressit liberos: quia dum Judaea in crudelitatem Dominicae persecutionis ce-cidit, Apostolorum fidem desperationis formidine obruit. Teneri enim tantummodo magistrum vide-runt, & jam negantes per diversa fugiebant. Et quamvis interna manus eorum spiritum in praes-cientia ad vitam tenuit, a vita tamen fidei eos inte-rim carnalis timor extinxit. Qui ergo auctorem suum, Judaea saviente, reliquerunt, quasi con-cussis angulis domo everfa necati sunt. Quid autem illo tempore de grege fidelium factum credimus, quod fugisse ipsos etiam arietes scimus? Sed inter haec unus, qui nunciet, evadit: quia convaluisse se sermo propheticus, qui haec denunciaverat, ostendit, dicens de persecutore populo: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa:* dicens de bonis praedicatoribus, sed tamen in passione fugientibus: *Pro-ximi mei a longe steterunt:* dicens de cunctis valde formidantibus: *Percutiam pastorem, & dispergen-tur oves gregis.* Sequitur.

*Jer. 31. c*

*Psal. 37. c*

*Zach. 13. b*

*Mat. 26. c*

*Quod plebs Judaica, & legis sacramenta a capite & corpore suo amissa sunt & scissa.*

CAPUT XXII.

29. **T**unc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua. Ruente domo, extinctis filiis, Iob surrexit: quia Judaea in infidelitate perdita, praedicatoribus in pavore mortis cadentibus, Redemptor humani generis semetipsum a carnis suae morte suscitavit: quia quanto iudicio persecutores suos deseruerit, demonstravit. Surgere quippe ejus, est qua distri-ctione peccatores derelinquat, ostendere: quasi enim jacere? Ius est, patienter mala tolerare. Surgit ergo, cum contra reprobos iudicium iustitiae exercit. Unde & recte vestimenta scidisse perhibetur. Quid enim vestimentum Domini nisi synagoga extitit, quae Prophetis praedicanibus expectationi incarnationis illius adhaeret? Sicut enim his nunc vestitur, a quibus diligitur, Paulo attestante, qui ait: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Quae enim maculam aut rugam non habere dicitur: profecto vestis rationalis & per actionem munda, & per spem \* tena monstratur. Ita cum incarnandum eum Judaea credidit adherendo, nihilominus vestis fuit. Sed quia expectatus venit, veniens nova docuit, docens mira exercuit, mira faciens prava toleravit; vestem qua indutus fuerat, scidit, dum in Judaea alios ab infidelitate sustulit, alios in incredulitate dereliquit. Quid est igitur vestis scissa, nisi Judaea in contrarias sententias divisa? Si enim vestis ejus

*Ephes. 5. d*

*\* al. ten. sa*

scissa non esset, Evangelista non diceret, quod praedicante Domino, contentio oriebatur in populo, ut alij dicerent, bonus est: alij autem non, sed se-ducit turbas. Quasi scissa vestis illius fuit, quae di-<sup>1000. 7. b</sup>visa per sententias unitatem concordiae perdidit, cum & post resurrectionem suam quibusdam credituris apparuit, & quibusdam non credituris se abscondit. Sequitur: *[Et tonsa capite corruens in terram, adoravit.]* Quid per decilos capillos, nisi sa-cramentorum subtilitas? quid per caput, nisi sum-ma sacerdotij dignitas designatur? Unde & ad Eze-chielem prophetam dicitur: *Tu sili hominis sume ti-bi gladium acutum, radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum & barbam:* ut videlicet Prophetae factio, iudicium Redemptoris exprima-tur, qui in carne apparens caput rasit, quia a Ju-daico sacerdotio praepetorum suorum sacramenta abstulit: barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus amputavit. Quid vero hoc loco per terram, nisi homo peccator exprimitur? Primo quippe peccanti homini dictum est: *Terra es, & in terram ibis.* Terra ergo nomi-ne peccatrix Gentilitas designatur. Nam cum ius-tam Judaea se crederet, constat quam reproba de Gentilitate sentiret, Paulo attestante, qui ait: *Nos natura Iudaei, & non ex Gentibus peccatores.* <sup>Gen. 3. d</sup> Mediator igitur noster quasi deponso capite in ter-ram corruit, quia Judaeam deserens, dum sacra-menta sua ab ejus sacerdotio abstulit, ad notitiam Gentium venit. Capillos enim a capite rasit, quia sacramenta legis ab illo suo primo sacerdotio sustu-lit: & in terram corruit, quia salvandis se peccato-ribus dedit: dumque eos qui sibi iusti videbantur, deseruit, hos qui se injustos & noverant, & fate-bantur, assumpsit. Hinc & ipse in Evangelio dicit: *Ego in iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant: & qui vident, ceci fiant.* Hinc & <sup>1000. 9. e</sup>columna nubis, quae in eremo populum praebat, & <sup>Exo. 33. d</sup>splendore ignis non in die, sed in nocte radiabat: quia videlicet Redemptor noster suae conversationis exemplo ducatum sequentibus praestans, de iusti-tia sua confidentibus nulla luce claruit: peccatorum vero suorum tenebras agnoscentibus ignem sui amoris insulsi. Nec quod corruere Job dicitur, in-dignum mens hoc significatione Redemptoris ar-bitretur. Scriptum namque est: *Verbum misit Do-minus in Iacob, & cecidit in Israel.* Iacob quippe <sup>1000. 9. e</sup>supplantator, Israel vero videns Deum dicitur. Et quid per Iacob, nisi Judaicus populus: quid per Israel nisi gentilis populus designatur? Quia quem Iacob per carnis mortem supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei Gentilitas Deum vidit. Ad Iacob ergo missum verbum, in Israel cecidit: quia eum, quem ad se venientem Judaicus popu-lus respuit, hunc repente confitens populus gentilis invenit. De sancto quippe Spiritu scriptum est: *Cecidit Spiritus Domini super eos.* Idcirco autem <sup>1000. 9. e</sup>vel verbum Domini, vel Spiritus sanctus in sacra Scriptura cadere dicitur, ut inopinatus ejus adven-tus exprimat. Quod enim ruit vel cadit, ad ima repente venit. Mediatori ergo in terram quasi cor-ruisse, est nullis signis praecurrentibus inopinatae ad Gentes venisse. Bene autem dicitur, quod cor-ruens adoravit: quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim, quia fieri docuit: sicut & de ejus spiritu dicitur: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Neque enim petit qui aequalis est, sed postulare dicitur: quia nimirum quos repleve-rit, postulantes facit: quamvis hoc & in semetipso Redemptor noster ostendit, qui Patrem etiam, dum passioni propinquaret, exoravit. Quid enim mi-rum, si in forma servi exorando se Patri subdidit, in qua etiam manus peccantium usque ad mortis extrema toleravit? Sequitur:

*1000. 7. b*

*Eze. 31. a*

*Gen. 3. d*

*Gal. 2. c*

*1000. 9. e*

*Exo. 33. d*

*30.*

*1000. 9. e*

*1000. 9. e*

*Rom. 2. d*

Quod synagoga adultera, pallio litteræ reiecto, dum lege carnaliter uti voluit, contempta est: & legislatorum criminata, nudum abire permisit.

## CAPUT XXIII.

31. **N**udus egressus sum de utero matris mee, nudus revertar illuc. Redemptoris mater juxta carnem synagoga extitit, ex qua ad nos per corpus visibile processit. Sed hunc intra se tegmine litteræ adopertum tenuit, dum ad spiritalem ejus intelligentiam mentis oculos aperte neglexit. Hunc quia in carne humani corporis latentem videre Deum noluit, quasi in divinitate nudum conspiciere contempsit. Sed nudus de utero matris exiit: quia à synagogæ carne prodiens conspicuus ad Gentes venit. Quod bene per Joseph relicto pallio fugientem signatum est. Dum enim mulier adultera malè illo uti voluisset, relicto pallio fugit foras: quia dum synagoga Dominum purum hominem credens, quasi adulterino complexu constringere voluit: ipse tegmen litteræ ejus oculis reliquit, & ad cognoscendam divinitatis suæ potentiam conspicuum se 2. Cor. 3. b Gentibus præbuit. Unde & Paulus dixit: *Vsq̄ hodie, dum legitur Moyses, vel amen est positum super cor eorum*: quia videlicet adultera mulier apud semetipsam pallium retinuit, & quem malè tenebat, nudum amisit. Quia ergo à synagoga veniens, fidei Gentium conspicuus apparuit, ex utero matris nudus exiit. Sed numquid hanc omnino deseruit? *Et ubi est quod per Prophetam dicitur: Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquia salva sient? Ubi est quod scriptum est: Donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret?* Erit ergo quandoque conspicuus, ut etiam synagogæ appareat. Erit in fine mundi proculdubio, quando gentis suæ reliquias semetipsam, sicut est Dominus, innotescet. Unde & bene hic dicitur: *[Nudus revertar illuc.]* Nudus quippe ad uterum matris revertitur, cum in mundi hujus termino is qui in sæculo factus homo despicitur, synagogæ suæ oculis Deus ante sæcula declaratur. Sequitur:

Quod solius Dei sit dare & auferre, & quod Redemptori nostra nullum ex consortio carnis, peccatum adhaesit.

## CAPUT XXIV.

**D**ominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Redemptor noster per hoc quod Deus est, cum Patre dat omnia: per hoc verò quod homo est, à Patre accipit omnia. Dicatur igitur de Judæa, cum venturum incarnationis ejus mysterium crederet: *Dominus dedit.* Dicatur de Judæa, cum expectatam incarnationis ejus præsentiam contempisset: *Dominus abstulit.* Data quippe est, cum per quosdam futura credidit: sed exigente merito suæ cæcitatibus ablata est, cum credita per quosdam venari contempisset. In se autem credentes edocet, ut in flagellis positi benedicere Domino sciant, cum subditur: *[Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.]* Unde & testante Evangelio cum appropinquare passioni dicitur, accepto pane, gratias egisse perhibetur. Gratias itaque agit, qui flagella alienæ iniquitatis suscipit. Et qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in persecutione benedicit: ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello culpæ propriæ facere debeat, si ipse aequanimiter flagella culpæ per-

S. Greg. Tom. I.

**A** tat alienæ: ut hinc ostendat, quid in correctione faciat subditus, si in flagello positus Patri gratias agit æqualis. Sequitur: *[In omnibus his non peccavi Iob labris suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.]* Quod nec peccasse, nec stultum aliquid contra Deum locutus asseritur; hoc de illo Petrus, sicut jam prædiximus, apertè testatur, dicens: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Dolus quippe in ore, quando apud homines prudentius caller, tantò apud Deum stultius despit, Paulo attestante, qui ait: *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum.* Quia ergo dolus in ore ejus non fuit, stultum proculdubio nihil dixit. Hunc contra Deum sacerdotes & principes stultè locutum crediderunt, cum interrogatus passionis tempore, Dei se Filium testaretur.

**B** Unde & conquiritores dicunt: *Quid adhuc egemus vestibus? ecce ipsi audivimus blasphemiam.* Sed contra Deum nihil stultè dixit, quia vera loquens, hoc de se infidelibus etiam moriendo intulit, quod paulò post redemptis omnibus resurgendo monstravit.

Hæc in significationem nostri capitis brevis tractata transcurramus: nunc ad ædificationem ejus corporis, ea moraliter tractanda replicemus: ut quod actum foris narratur in opere, sciamus quomodo intus agatur in mente. Nam cum filij Dei assistunt coram Deo, inter eos quoque assistit & satan: quia plerumque bonis nostris cogitationibus, quæ in corde nostro, adventu Spiritus sancti operante, seminantur, antiquus ille callidè se interset & subjungit inimicus, ut bene cogitata perturbet, maleque perturbata dilaniet. Sed nequaquam nos in tentatione deserit, qui creavit. Nam hostem nostrum, qui se contra nos in insidiis contegit, illustratione sui luminis nobis deprehensibilem reddit: propter quod ei mox dicitur: *[Unde venis?]* Callidum namque hostem requirere, est ejus nobis insidias declarare: ut quòd eum subintrare ad cor cernimus, forti contra illum circumspeditione vigilemus. *[Qui respondens ait: Circumvi terram, & perambulavi eam.]* Satanæ terram circumire, est & carnalia corda perscrutari, & unde occasionem accusationis invenire possit, exquirere. Terram circuit; quia humana corda circumvenit, ut bona tollat, ut mala mentibus inferat, ut inserta cumulet, ut cumulata perficiat, ut perfectos in iniquitatibus ad pœnam socios acquirat. Et notandum, quòd non transvolasse, sed perambulasse se asserit: quia nimirum nequaquam quem tentat, velociter deserit; sed ubi molle cor invenerit, ibi pedem miseræ persuasionis figit, ut immorando actionis prave vestigia imprimat, & ex suæ iniquitatis similitudine, quos valet, reprobos reddat. Sed contra hunc beatus Iob laudatur, & dicitur: *[Numquid considerasti servum meum Iob? quod non sit ei similis super terram: vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?]* Quem divina inspiratio contra hostem roborat, hunc quasi in satanæ auribus Deus laudat. Laudare quippe ejus est, & prius bona concedere, & post concessa custodire. Sed antiquus hostis eò contra bonos gravius sævit, quòd vallari eos divinæ protectionis minere conspiciat. Unde & subjungens dicit: *[Numquid frustra Iob timer Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio illius crevit in terra.]* Ac si apertè dicat: Cur laudas eum, quem protegendo roboras? Despecto enim me, dignus tuis laudibus homo esset, si suis contra me viribus staret. Unde mox & malitiosè de homine expetit: quod tamen protector hominis bene concessit. Nam subditur:

D iij

*Quod electi in tentatione proficiunt : & quod eis  
diabolus preparat in ruinam, hoc eis Deus  
convertit in gloriam.*

## CAPUT XXV.

**S**ed extende paululum manum tuam, & tange  
cuncta, qua possidet : nisi in faciem benedixeris  
tibi. ] Plerumque enim, dum fecundè virtutum  
fructus reddimus, dum continua prosperitate pol-  
lemus, aliquantulum mens erigitur, ut à semetip-  
sa sibi existere bona quæ habet, arbitretur. Quæ ni-  
mirum bona antiquus hostis malitiosè attrahere  
appetit; sed hæc tentari Deus non nisi benignè per-  
mittit: ut dum mens tentatione pulsata, in bonis,  
de quibus gaudebat, concutitur, imbecillitatis suæ  
debilitate cognita, in spe divini adjutorij robustius  
solidetur. Fitque mira dispensatione pietatis, ut un-  
de malignus hostis cor tentat ut interimat, inde mi-  
sericors conditor hoc erudiat, ut vivat. Unde &  
bene subjungitur : [ *Ece universa qua habet, in  
manu tua sunt : tantum in eum ne extendas manum  
tuam.* ] Ac si apertè dicat: Electi uniuscujusque bo-  
na sic tibi tentanda exterius tribuo, ut tamen ipse  
noveris, quia perseverantem mihi illum in mentis  
radice conservo. Ubi & bene subditur: [ *Egressus  
que est satan à facie Domini.* ] quia per hoc, quod  
usque ad defectum cordis prævalere nequaquam  
permittitur, exclusus ab intimis, exterius vagatur.  
Qui etiam si virtutes mentis plerumque turbat; eo  
ipso foris est, quo resistente Domino, usque ad in-  
teritum bonorum corda non vulnerat. In tantum  
quippe contra illa sævire permittitur, in quantum  
necessè est, ut tentationibus erudita solidentur; ne  
ea quæ agunt bona suis viribus tribuant, ne in se-  
curitatis torpore se deserant, & à formidinis accin-  
ctione dissolvant: sed ad profectus sui custodiam  
tantò solertius invigilent, quantò se contra adver-  
sarium stare semper in acie tentationum vident.  
[ *Cum autem quadam die filij & filia ejus comederent  
& biberent vinum in domo fratris sui primogeniti,  
nuncius venit ad Iob, qui diceret: Boves arabant,  
& asine pascebantur juxta eos, & irruerunt Sabæi,  
interuntque omnia, & pueros percusserunt gladio: &  
evasi ego solus, ut nunciarem tibi.* ] In electorum  
corde prior bonorum sequentium sapientia nasci-  
tur, atque hæc per donum spiritus quasi primoge-  
nita proles profertur. Quæ profectò sapientia, no-  
stra fides est, Propheta attestante, qui ait: *Nisi  
intelligendum sapimus, cum cunctis quæ conditor  
dicit, credulitatis nostræ fidem præbemus.* In do-  
mo ergo fratris primogeniti convivuntur filij, dum  
virtutes reliquæ epulantur in fide. Quæ si non pri-  
ma in corde nostro gignitur; reliqua quæque esse  
bona non possunt, etiam si bona videantur. In do-  
mo fratris primogeniti filij convivantur, dum vir-  
tutes nostræ in habitaculo fidei, sacri eloquij cibo  
satiantur. Scriptum quippe est: *Sine fide impossibile  
est placere Deo.* Tunc ergo virtutes nostræ veras vi-  
tæ epulas sumunt, cum nutrirî fidei sacramentis in-  
cipiunt. In domo fratris primogeniti convivantur  
filij, quia nisi virtutes reliquæ sapientiæ epulis re-  
pleta, ea quæ appetunt, prudenter agant, virtutes  
esse nequaquam possunt. Sed ecce dum bona quæ  
agimus, sapientiæ epulis fideique pascentur, hostis  
nostræ arantes boves, & pascentes asinas subtrahit,  
& pueros gladio occidit. Quid arantes boves, nisi  
graviore nostras cogitationes accipimus? Quæ  
dum cor studiosa exercitatione concipiunt, uberes  
profectuum fructus reddunt. Quid pascentes intel-  
ligimus asinas, nisi simplices motus cordis? Quos  
dum studiosè à duplicitatibus errore concipimus,  
quasi in campo liberæ puritatis nutrimus. Quæ ple-  
rumque hostis callidus, cum graves cogitationes

**A** corde conspicit, eas subintroducitur voluptatis dele-  
ctatione corumpit; & dum motus cordis simpli-  
ces videt, subtilia inventionum acumina ostendit:  
ut dum laus de subtilitate queritur, puritatis sim-  
plicitas amittatur: & si usque ad opus pravum per-  
trahere non valet, tentando tamen bonorum cogi-  
tationibus subrepens nocet; ut dum turbare bona  
mentis agnoscitur, ea quasi funditus abstulisse vi-  
deatur. Possunt etiam per arantes boves, cogita-  
tiones charitatis accipi; quibus prodesse aliis cona-  
mur, cum fraterni cordis dicituram prædicando scin-  
dere cupimus. Potest etiam per asinas, quæ nimi-  
rum sese onerantibus, nullâ ferocitatis infaniâ resi-  
stunt, patientiæ mansuetudo signari. Et sæpe hostis  
antiquus cum velle prodesse nos loquendo aliis  
conspicit, in quodam torpore otij mentem mergit;  
ut aliis prodesse non libeat, etiam cum à pro-  
priis vacat. Arantes ergo boves subtrahit, cum cogi-  
tationes mentis fraternæ utilitatis fructibus dedi-  
tas, per submissum negligentiam torporem frangit.  
Et quamvis electorum corda intra arcana suæ cogi-  
tationis invigilent, & quid à tentatore sustineant,  
superantes pensent, eo tamen ipso malignus inimi-  
cus aliquid rapuisse se gaudet, quod cogitationibus  
bonorum vel ad momentum prævaleat. Sæpe autem  
cum præparatam mentem ad tolerantiam videt,  
quid ab ea maximè diligitur, exquirat, & ibi can-  
dali laqueos inferat: ut quod magis res quæque dili-  
gitur, eò per eam facilius patientia perturbetur. Et  
quidem electorum corda ad se semper sollicitè re-  
deunt, & semetipsa graviter vel pro levi motu ex-  
cessionis affligunt: & dum mota discunt quomodo  
stare debuerint, aliquando melius concussa soli-  
dantur. Sed antiquus hostis, dum tolerantiam cogi-  
tationes vel ad momentum turbat, quasi abstulisse  
se ab agro cordis asinas exultat. In his autem  
quæ agere disponimus, rationabili custodia quid  
quibusque rebus congruat, sollicitè pensamus. Sed  
plerumque hostis, dum subita ad nos perturbatio-  
ne tentationis irruit, circumspeditione cordis inop-  
inatè præveniens, quasi ipsos custodes pueros gladio  
occidit. Sed tamen unus fugit, qui alios peris-  
se nuntiat: quia in eo quod mens ab hoste patitur,  
rationis discretio semper ad animum redit; & quasi  
solam se evasisse indicat, quæ apud semetipsam  
fortiter quicquid pertulerit, pensat. Aliis ergo per-  
euntibus unus ad domum redit, dum turbata ten-  
tationis motibus discretio ad conscientiam recur-  
rit, ut quod repentinis incurisibus præoccupata mens  
se perdidisse pensat, hoc compunctionis studio af-  
flicta recipiat. [ *Cumque adhuc ille loqueretur, venit  
aliter, & dixit: Ignis Dei cecidit de celo, & raras  
oves puerosque consumpsit: & effugi ego solus, ut  
nunciarem tibi.* ] Quid per oves, nisi cogitationum  
innocentia: quid per pueros, nisi bonorum cor-  
dium munditia designatur? Cælum verò ærem di-  
ci paulò antè jam diximus, unde & aves cæli no-  
minamus. Et scimus quòd immundi spiritus, qui  
de cælo æthereo lapsi sunt, in hoc cæli terræque  
medio vagantur: qui tantò magis corda hominum  
ascendere ad cælestia invident, quantò se à cæles-  
tibus per elationis suæ immunditiam projectos vi-  
dent. Quia ergo ab æreis potestatis contra cogi-  
tationum nostrarum munditiam flamma livoris ir-  
ruit, de cælo ignis ad oves venit. Sæpe enim mun-  
das mentis nostræ cogitationes ardore libidinis ac-  
cendunt; & quasi igne oves concremant, dum cas-  
tos motus animi, luxuriæ tentatione perturbant.  
Qui ignis Dei dicitur: quia etsi non faciente Deo,  
tamen permittente, generatur. Et quia impulsu sub-  
bito ipsas nonnumquam circumspeditiones mentis  
obruunt, quasi custodes pueros gladio occidunt.  
Sed tamen unus incolumis fugit, dum omne quod  
mens patitur, perseverans discretio subtiliter respicit,  
solaque mortis periculum evadit, quia etiam

isa. 7. b  
sec. lxx.

feb. 11. a

perturbatis cogitationibus, discretio non succumbit, ut damna sua animo renunciet, & quasi Dominum ad lamentum vocet.

*Quanta sit in rerum terrenarum dispensatione difficultas.*

## CAPUT XXVI.

**S**ed illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio: & effugi ego solus, ut nunciarem tibi. ] Per camelos, qui mundum aliquid habent, dum ruminant, & immundum, dum nequaquam ungulam findunt, supra jam diximus, bonas rerum temporalium dispensationes intelligi, in quibus quod est cura distentior, eò nobis multiplicius insidiatur inimicus. Omnis enim, qui dispensandis terrenis rebus praesidet, occulti hostis jaculis latius patet. Nonnulla enim providens agere nititur, & saepe dum cautus futura subtiliter praevidet, incautas damna praesentia nequaquam videt: saepe dum praesentibus invigilat, ad instantia praevidenda dormitat: saepe dum aliqua torpens agit, quae vigilanter agenda sunt negligit: saepe dum plus justo vigilantem se in actione exhibet, ipsa actionis suae inquietudine rebus subditis pejus nocet. Aliquando autem linguae modum ponere nititur, sed onere dispensationis exigente, silere prohibetur. Aliquando dum nimia se censuram restringit, tacet etiam quae loqui debuit. Aliquando ad inferenda necessaria dum se latius relaxat, dicit etiam quae loqui non debuit. Plerumque autem tantis cogitationum voluminibus implicatur, ut ipsa ferre vix valeat, quae intra se providus versat: & cum nil opere faciat, sub magno cordis sui pondere vehementer infundat. Quia enim dura sunt quae apud semetipsum intus patitur, quietus foris otiosusque lassatur. Plerumque enim quasi ventura animus conspicit, totamque contra haec intentionem proponit; magnusque ardor contentionis se inferit, sopor fugit, nox in diem vertitur: & cum quies foris membra lectulus teneat, intus magnis clamoribus in cordis foro litigatur. Et fit plerumque, ut nulla eveniant, quae praevidentur: totaque cogitatio illa, quae diu plena se intentione paraverat, repente vacua quiescat. Tanto autem longius mens à necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. Quia igitur dispensationis curas maligni spiritus modò torpenti, vel praecipitata actione feriunt: modò pigra, vel immoderata locutione confundunt: pene autem semper nimis cogitationum molibus premunt; tribus turmis Chaldaei camelos rapiunt. Quasi enim tres turmas contra camelos facere, est terrenarum dispensationum studia modò illicito opere, modò superflua locutione, modò inordinata cogitatione vastare: ut dum se ad administranda exterius mens efficaciter extendere nititur, à sui consideratione separetur; & eò damna, quae de semetipsa patitur, nesciat, quò erga aliena fortiori studio, quam decet, elaborat. Recta autem mens cum curas dispensationis suscipit, quid sibi, quid proximis debeat, attendit: & nec per alienae sollicitudinis immoderationem sua studia negligit, nec per suae utilitatis vigilantiam aliena postponit. Sed tamen plerumque dum ad utraque solerter mens invigilat, dum magnis erga se, & ea quae sibi commissa sunt, circumspeditionibus vacat, repentino turbata eujuslibet causae emergentis articulo, ita in praecipites rapitur, ut ab ea subito cunctae circumspeditiones ejus obruantur. Unde & custodes camelorum pueros Chaldaei gladio feriunt: sed tamen unus redit, quia inter haec discretionis ratio mentis nostrae oculis occurrit, & sollicita sibi anima quid subito impulsu tentationis intrinsecus amittat, intelligit. Sequitur:

*Quod his qui justitia, prudentia, fortitudine, & temperantia, aliisque bonis spiritualibus praediti sunt, gratia Dei aliquando se utiliter subtrahat: ut qui de se praesumit, quantum in se sit infirmus, agnoscat.*

## CAPUT XXVII.

**A**d huc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos, & moriui sunt: & effugi ego solus, ut nunciarem tibi. ] Sicut supra jam diximus, regio deserti est immundorum spirituum multitudo derelicta: quae dum conditoris sui beatitudinem deseruit, quasi manum cultoris amisit: à qua ventus vehemens venit, & domum subruit; quia ab immundis spiritibus fortis tentatio subrepat, & à tranquillitatis suae statu conscientiam evertit. In quatuor verò angulis domus ista consistit: quia nimirum solidum mentis nostrae aedificium, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor angulis domus ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura confurgit. Unde & quatuor paradisi flumina terram irrigant: quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium aestu temperatur. Sed nonnumquam dum menti ignavia subrepat, prudentia frigescit: nam cum fessa torpet, ventura non providet. Nonnumquam dum nonnulla menti delectatio subrepat, temperantia nostra marcescit. In quantum enim ad delectationem praesentium ducimur, intantum minus ab illicitis temperamus. Nonnumquam se timor cordi insinuat, & vires nostrae fortitudinis turbat: & eò minores contra adversa existimus, quò quaedam perdere immoderatus dilecta formidamus. Nonnumquam verò amor sui se menti ingerit, eamque latenti motu à rectitudine justitiae divertit: & quò se totam auctori reddere negligit, eò in se justitiae juri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concutit; dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit: & quasi quassatis angulis, domus obruitur, dum pullatis virtutibus, conscientia turbatur. Intra hos autem quatuor domus angulos filij convivantur: quia intra arcana mentis, quae principaliter his quatuor virtutibus ad summam rectitudinis culmen erigitur, virtutes ceterae quasi quaedam cordis soboles se invicem pascunt. Donum quippe spiritus, quòd in subiecta mente ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam formât; eandem mentem ut contra singula quaeque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat. Ut contra stultitiam, sapientiam: contra heberudinem, intellectum: contra praecipitationem, consilium: contra timorem, fortitudinem: contra ignorantiam, scientiam: contra duritiam, pietatem: contra superbiam, der timorem. Sed nonnumquam, dum mens nostra tanti muneris plenitudine atque ubertate fulcitur; si continua in his securitate perfruatur, à quo sibi haec sint, obliviscitur: seque à se habere putat, quòd numquam sibi abesse considerat. Unde fit, ut aliquando se haec eadem gratia utiliter subtrahat, & praesumentem menti, quantum in se infirmetur, ostendat. Tunc enim verè cognoscimus bona nostra unde sint, quando haec quasi amittendo, sentimus quia à nobis servari non possunt. Ad hoc itaque intimandae humilitatis magisterium, sic plerumque, ut irridente tentationis articulo, tanta stultitia sapientiam nostram feriat, ut turbata mens, qualiter malis imminentibus obviet, vel contra tentationem quomodo se praeparet, ignoret. Sed haec

35.

\* al. c. virtutum al. cruciatur.

ipſa ſtultitia cor prudenter eruditur : quia unde ad momentum deſipit, eò poſt veriùs, quò & humiliùs, ſapit; & ſapientia unde quaſi amittitur, inde certius poſſidetur. Aliquando dum ſublimia intelligendo in elationem ſe animus erigit, in rebus imis & vilibus gravi hebetudine pigreſcit : ut repente ſibi etiam ima clauſa videat, qui pernix ſumma penetrabat. Sed hæc ipſa hebetudo intellectum nobis, dum ſubtrahit, ſervat : quia dum ad momentum cor humiliat, veriùs ad ſublimia intelligenda confirmat. Aliquando dum cuncta nos agere conſilij gravitate gaudemus, pullante cauſa emergentis articulo, præcipatione ſubita rapimur; & qui nos ſemper diſpoſitè vixiſſe credimus, repente intima confuſione vaſtamur : ſed tamen ejuſdem confuſionis eruditione diſcimus, ne noſtris viribus conſilia noſtra tribuamus : & tantò maturiùs ad gravitatem reſtringimur, quantò ad hanc quaſi amiſſam redimus. Aliquando dum mens fortiter adverſa contemnit, ſubortis adverſitatis eventibus, hanc metus vehemens percutit : ſed per hunc concuſſa diſcit cui tribuat, quòd in quibuſdam fortiter ſtetit; & tantò poſt validiùs fortitudinem retinet, quantò hanc repente irruente formidine ſibi jam quaſi elapſam videt. Aliquando dum magna nos ſcire gaudemus, repentinè ignorantie cæcitate torpeſcimus : ſed quò ignorantia mentis oculus ad momentum clauditur, eò poſt ad ſcientiam veriùs aperitur : ut nimirum flagello ſuæ cæcitatibus eruditus, & ſcire ipſum? à quo habeat, ſciat. Aliquando dum religioſè cuncta diſponimus, dum pietatis viſcera plenè nos habere gratulamur, quadam mentis duritia irruente percutimur : ſed quaſi obdurati cognoviſcimus cui pietatis habitæ bona tribuamus; & pietas veriùs vel extincta recipitur, dum quaſi amiſſa ampliùs amatur. Aliquando dum ſubjectum ſe divinæ formidini animus gaudet, repente ſuperbia tentante rigeſcit : ſed tamen valde mox timens, quia non timuit, ad humilitatem ſe iterum feſtinus inſectit; & tantò hanc ſolidiùs recipit, quantò ejus virtutis pondus quaſi amittendo penſavit. Everſa igitur domo, moriuntur filij : quia turbatà in tentatione conſcientià, ad utilitatem propriæ cognitionis raptim & in momento temporis obruuntur genitæ in corde virtutes. Qui profectò filij intus per ſpiritum vivunt, dum exteriùs carne moriuntur : quia videlicet virtutes noſtræ tentationis tempore etſi in momento turbatæ ab ſtatu ſui incolumitate deficiunt, per intentionis tamen perfeverantiam integre in mentis radice ſubſiſtunt. Cùm quibus etiam tres ſorores occumbunt : quia in corde nonnumquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur ſpes, per quæſtiones pulſatur fides. Sæpe enim quaſi à conditoris amore torpeſcimus, dum ultra quàm nobis congruere credimus, flagello fatigamur. Sæpe dum plus, quam neceſſè eſt, mens formidat, fiducia ſibi met ſpei debilitat. Sæpe dum immenſis quæſtionibus animus tenditur, perturbata fides quaſi defectura fatigatur. Sed tamen vivunt filie, quæ domo concuſſa moriuntur : quia etſi intra conſcientiam, ſpem, fidem, charitatemque pene occumbere perturbatio ipſa renunciat; haſtamen ante Dei oculos vivas perfeverantia rectæ intentionis ſervat. Unde & puer, qui hæc nunciet, ſolus evadit : quia mentis diſcretio etiam inter tentamenta incolumis permanet. Agiturque puer, ut Job filios ſtendo recipiat; dum, diſcretione nunciante dolens animus, vires quas quaſi amittere cœperat, pœnitendo conſervat. Mira autem hoc nobiſcum diſpenſatione agitur, ut mens noſtra culpæ nonnumquam pulſatione feriatur. Nam eſſe ſe magnarum virium homo crederet, ſi nullum umquam earundem virium defectum intra mentis arcana ſentiret. Sed dum tentatione irruente quaſitur, & quaſi ultra quàm ſufficit, fatigatur;

A ei contra hoſtis ſui inſidias münimen humilitatis oſtenditur : & unde ſe pertimeſcit enerviter cadere, inde accipit fortiter ſtare. Tentatus autem, non ſolum vires à quo accipiat, diſcit; ſed quanta eas vigilantia ſervet, intelligit. Sæpe enim quem tentationis certamen ſuperare non valuit, ſua deterius ſecuritas ſtravit. Nam dum laſſum ſe quiſque in otio remittit, diſſolutam mentem corruptori proſtituit : at ſi cum ex diſpenſatione ſuperne pietatis, tentatio non repente vehementer irruens, ſed temperato accellu erudiens pulſat, nimirum ad inſidias providendas evigilat, ut contra hoſtem ſe in certamine cautius accingat. Unde & bene ſubjungitur : [ *Tunc ſurrexit Job.* ] Sedere enim, quieteſcens eſt : allurgere, decertantis. Auditus ergo adverſis ſurgere, eſt expertis tentationibus mentem ad certamina robuſtiùs parare. Quibus nimirum tentationibus etiam diſcretio proficit, quia ut virtutes à vitiis ſubtiliùs diſtinguat, agnoſcit. Unde & bene ſubjungitur : [ *Scidit veſtimenta ſua.* ] Veſtimenta ſcindimus, cùm diſcernendo opera noſtra retractamus. Si enim nos apud Deum opera noſtra quaſi veſtimenta non tegerent, nequaquam voce angelica diceretur : *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet. & videant turpitudinem ejus.* Turpitudinem enim noſtra tunc cernitur, cùm vita reprehendiſſis ante juſtorum oculos in judicio, nequaquam ſubſequentis boni operis tegmine velatur. Sed quia cùm culpâ tentamur, ad lamenta accendimur : atque ipſis lamentis excitati, ad perſpicendam lucem juſtitiæ ſubtiliùs oculos mentis aperimus, quaſi in dolore veſtimenta ſcindimus, quia ex ſtatu, diſcretione creſcente, cuncta quæ agimus, diſtrictiùs irata manu judicamus. Tunc omnis noſtra elatio corrui, tunc cuncta ab animo cogitationum ſuperfluitas cadit. Unde & ſubditur : [ *Et torſo capite corruens in terram adoravit.* ] Nam quid moraliter per capillos, niſi deſluentis animi cogitationes accipimus? Unde & aliàs Eccleſiæ dicitur : *Sicut vitæ coccinea labia tua, ſponſa, & elo-* Apo. 16.10

C *quium tuum dulce.* Vitæ quippe crines capitis attringit. Labia ergo ſponſæ ſicut vitæ ſunt : quia exhortatione ſanctæ Eccleſiæ, cunctæ in auditorum mentibus diſſuſe cogitationes ligantur; ne remiſſæ deſtuant, ne ſeſe per illicita ſpargant, ne ſparſæ cordis oculos depriment : ſed quaſi ad unam ſe intentionem colligant, dum vitæ eas ſanctæ prædicationis ligat. Quam rectè & coccineam aſſerit, quia ſanctorum prædicatione ſolo charitatis ardore flammefcit. Quid verò per caput, niſi ea, quæ principale uniuſcujuſque actionis eſt, mens ipſa ſignatur? Unde & aliàs dicitur : *Et oleum de capite tuo non deficiat.* Eccle. 9.6

D Oleum quippe in capite, eſt charitas in mente : & deficit oleum à capite, cùm charitas diſcedit à mente. Caput ergo detondere, eſt cogitationes ſuperfluas à mente reſecare. Et detonſo capite in terram corruit, qui reſpreſſis præſumptionis ſuæ cogitationibus, quàm in ſemetipſo infirmus ſit humiliter agnoſcit. Difficile namque eſt quempiam magna agere, & apud ſemetipſum de magnis actibus cogitationum fiduciam non habere. Eo ipſo enim, quo contra vitia fortiter vivitur, cogitationum præſumptio in corde generatur : & cùm mens foris culpas valenter cõterit, plerumque apud ſemetipſam latentè intumeſcit; jamque ſe eſſe magni alicujus meriti æſtimat, nec ſe peccare in cogitatione ſuæ æſtimationis putat. Ante diſtricti autem judicis oculos tantò deterius delinquitur, quantò culpa occultius & pene incoſtrigibiliter perpetratur : & tantò ad vorandum latiùs patet fovea, quantò de ſemetipſa elatiùs gloriatur vita. Unde, ut ſæpe jam diximus, pia conditoris diſpenſatione agitur, ut de ſe confiſcens anima, diſpenſatoria tentatione pulſetur : quatenus infirmata, quid ſit inveniat, & præſumptionis propriæ faſtum deponat. Mox enim ut tentatio

37.

38.

Cant. 4

39.



tentatio mentem pulsaverit, omnis cogitationum nostrarum præsumptio, tumultusque conquiescit. Mens enim cum se in elationem erigit, quasi in tyrannidem erumpit. Habet autem tyrannidis suæ satellites faventes sibi cogitationes suas. Sed si super tyrannum hostis irruat, favor mox satellitum cessat. Intrante namque adversario, satellites fugiunt, eumque terri declinant, quem in pace positi callida adulatione laudabant. Subductis verò satellitibus, ante hostem solus remanet: quia recedentibus elatis cogitationibus, perturbatus animus se solummodo in tentatione videt. Auditis ergo adversis caput detondetur, cum tentationibus vehementer irruentibus, à præsumptionis suæ cogitationibus mens nudatur. Quid est enim, quod Nazaræi capillos nutriunt, nisi quod per vitam magnæ continentia præsumptionum cogitationes crescunt? Sed quid est, quod devotione completa, caput Nazaræus radere, capilloque in igne sacrificij ponere jubetur: nisi quod tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas à mente refecemus? Quas nimirum sacrificij igne concremare, est flammam eas divini amoris incendere: ut totum cor in Dei amore ardeat, & cogitationes superfluas concremans, quasi Nazaræi capillos devotionis perfectione consumat. Et notandum, quod in terram corruens adoravit. Ille enim veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia pulvis sit, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit, esse de misericordia conditoris agnoscit. Unde & competenter dicit: [ *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* ] Ac si tentatus animus & infirmitatis suæ inopiâ deprehensus dicat: Nudum me in fide prima gratia genuit, nudum eadem gratia in assumptione salvabit. Est namque magnum animi turbati solatium, ut pulsatus vitiis, cum se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam misericordiam speret recurrat: & eò se nudari non sinat, quod se à virtutibus humiliter nudum putat: qui etsi fortasse aliqua virtute in tentatione detegitur, infirmitatem tamen propriam agnoscens, ipsa melius humilitate vestitur: & valde robustius, quam steterat, jacet, cum sibi sine divino adjutorio cessat tribuere quod habet. Unde & manum mox largitoris & iudicis humiliter agnoscit, dicens: [ *Dominus dedit, Dominus abstulit.* ] Ecce tentationibus eruditus crevit, qui & in virtute habita largitatem dantis, & in perturbatione fortitudinis, potestatem tollentis agnoscit. Quæ tamen fortitudo non tollitur, sed perturbata fatigatur: quatenus concussa mens, dum se hanc jam jamque quasi amittere trepidat, semper facta humilis numquam perdat. [ *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* ] In hoc, quod interna perturbatione concutimur, dignum est ut ad conditoris iudicium recurramus; ut inde cor nostrum adjutori suo majores laudes exhibeat, unde pulsatum verius imbecillitatem suæ infirmitatis pensat. Bene autem dicitur: [ *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis, nec solum aliquid contra Deum locutus est.* ] quia solerti cura custodire dolens animus debet, ne cum se intus tentatio stimulat, in verba foras illicitæ locutionis erumpat, ne de probatione murmuret: & ignis, qui hunc velut aurum concremat, per excessum sermonis illiciti in paleam favillam vertat.

*Quod Prophetia sanctis & adest & abest Spiritus prophetia.*

#### CAPUT XXVIII.

41. **N**IL verò obstat si hoc, quod de virtutibus diximus, de his, quæ in offensione virtutis dantur, donis sancti Spiritus sentiamus. Alij namque S. Greg. Tom. I.

prophetiæ, alij genera linguarum, alij virtutes curationum dantur. Sed quia dona hæc ipsa non semper in mente eodem modo sunt, liquidò ostenditur, quod nese mens in præsumptione elevet, aliquando utiliter subtrahuntur. Nam si prophetiæ spiritus Prophetis semper adest, nimirum Elifæus propheta non diceret: *Dimitte eam, anima enim ejus in amaritudine est, & Dominus celavit a me verbum.* Si prophetiæ spiritus Prophetis semper adest, inquisitus Amos propheta non diceret: *Non sum propheta, ubi & subdidit: Neque filius propheta: sed armentarius puer ego sum, vellicans sycamoras.* Quomodo autem propheta non fuit, qui de futuris tot vera prædixit? Aut quomodo propheta fuit, si de se in præsentem vera denegavit? Sed quia eadem hora, qua requisitus est, prophetiæ sibi spiritum deesse sensit, de semetipso testimonium veraciter intulit, dicens: *Non sum propheta. Qui tamen secutus adjunxit: Et nunc audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Vxor tua in civitate fornicabitur, & filij tui & filia tua in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & in terra polluta morieris.* Quibus prophetæ verbis aperte ostenditur, quia dum de se illa loqueretur, impletus est: & mox habere prophetandi spiritum meruit, quia se prophetam non esse humiliter agnovit. Et si prophetiæ spiritus prophetis semper adest, David regi de templi constructione consulenti, nequaquam Nathan propheta concederet, quod post paululum negaret. Unde bene & in Evangelio scriptum est: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizatur.* In cunctis namque fidelibus Spiritus venit, sed in solo mediatore semper singulariter permanet: quia ejus humanitatem numquam deseruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui solus & omnia & semper potest. Nam fideles, qui hunc accipiunt, cum signorum dona semper habere, ut volunt, non possunt, hunc se accepisse quasi in transitu ostensione testantur. Sed cum rursum de eodem Spiritu veritatis ore discipulis dicitur: *Apud vos manebit, & in vobis erit:* quid est, quod divina voce mediatoris signum hoc, eadem sancti Spiritus mansio declaratur, cum dicitur: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum?* Si igitur juxta magistri vocem & in discipulis manet: quomodo jam singulare signum erit, quod in mediatore permanet? Quod tamen citius cognoscimus, si dona ejusdem Spiritus discernamus.

*Quod sunt quedam dona Spiritus sancti, sine quibus nemo ad vitam pervenit, & alia in præsentem vitam ad subsidium temporalium necessitatum utilia.*

#### CAPUT XXIX.

**A**LIA namque sunt dona illius, sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur: alia, quibus vitæ sanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Mansuetudo namque, humilitas, patientia, fides, spes, charitas, dona ejus sunt: sed ea, sine quibus ad vitam homines pervenire nequaquam possunt. Prophetiæ autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio sermonum, dona ejus sunt: sed quæ virtutis ejus præsentiam pro correctione intuentium ostendunt. In his igitur donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus sanctus sive in prædicatoribus suis, sive in electis omnibus semper manet: in illis autem, quibus per ostensionem illius non nostra vita servatur, sed aliorum quaeritur, nequaquam semper in prædicatoribus permanet: quia semper quidem eorum cordibus ad bene vivendum præsidet, nec tamen per eos virtutum signa semper ostendit: sed aliquando se eis à signorum ostensionibus subtrahit, ut eo humilius

E

virtutes ejus habeantur, quo habitū teneri non A possunt. Mediator autem Dei & hominum homo Christus Jesus, in cunctis eum & semper & continē habet presentem: quia & ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Rectē ergo cū in sanctis prædicatoribus maneat, in mediatore singulariter manere perhibetur: quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput autem corporis, usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, & tangat: ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant; ipsum verò caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet, cui se ad votum substantialiter exhibet, &

à quo per naturam numquam recedit. Dona verò ejus, quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt: dona autem, quibus vitæ sanctitas demonstratur, plerumque, ut dictum est, sine dispendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt, hæc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant: in istis verò ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas; quia ad elationem mentem fortasse sublevent. Cū igitur concessa nobis virtutum signa subtrahuntur, dicamus rectē: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Tunc enim verè ostendimus, quia accepta rectē tenuimus, cū profectò æquanimitè ad momentum sublata toleramus.

*Libri secundi Moraliū finis.*



SANCTI GREGORII  
MORALIS EXPOSITIONIS  
IN BEATVM JOB  
LIBER TERTIVS.

CAPUT PRIMUM.

**B**EATUS Job ad mortem petitus in tentatione, ad vitam crevit ex verberare: & antiquus hostis unde se bona ejus aestimavit extinguere, inde doluit multiplicasse. Sed quia in primo certamine se succubuisse considerat, ad alia tenta-

tionum bella restaurat, & de sancto viro mala adhuc impudenter sperat: quia bona malus credere non potest, vel experta. Ea autem, quæ in prima ejus percussione præmissa sunt, iterum subnectuntur, cū dicitur:

CAP.  
II.

**F**actum est autem, cū quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino; venisset quoque satan inter eos, & staret in conspectu eius, ut diceret Dominus ad satan: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuii terram, & perambulavi eam. Et dixit Dominus ad satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens satan ait: Pellem pro pelle, & cuncta qua habet homo, dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad satan: Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serva. Egressus igitur satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem eius: qui testa saniem radebat, sedens in sterquilino. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suthites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum: & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum in celum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.

Hæc quia latius supra differuimus, melius silentio præterimus: ne, dum lapsius discussa repetimus, tardius ad indiscussa veniamus. Quamvis hoc, quod voce Domini ad satan dicitur: Unde venis? nequam aestimo, quod ita ei, ut prius, dicatur: Cū enim ab eo certamine, in quo relaxatus fuerat, victus redit; & unde venit, requiritur, qui unde veniat, scitur: quid aliud, quam infirmitas superbiæ ejus increpatur? ac si ei apertè divina vox dicat: Ecce ab uno & in infirma carne posito homine vin-

ceris, qui te contra me auctorem omnium erigere \* \* et. cog-  
naris. conabaris. Unde mox Dominus cū beati Job bona, sicut prius diceret, hæc cum victoriæ triumphis enumerans adjungit: [Et adhuc retinens innocentiam suam.] Ac si apertè dicat: Tu quidem exercuisti malitiam, sed ille innocentiam non amisit: & unde te aestimasti profectum ejus imminuere, inde compulsum es ejus profectui deservire: quia mentis innocentiam, quam gloriose tenuit in tranquillitate, gloriose servavit in verberare. Sequitur: